RESPONSVM

AD PRIMVM LIBELLVM

R. D. Ioannis Markieuicz Canonici Posnaniensis, contra Priuilegia Apostolica Patrum Societatis IESV, & Sacræ Rotæ Decisiones ratione Exemptionis à soluendis Decimis.

A Doctore IOANNE *NALDO datum,*

Et Illustrissimo, ac Reuerendissimo D.

LEONI VEROSPIO

EIVSDEM ROTÆ AVDITORI

& huius Causæ Ponenti dicatum.



ROMÆ;
Ex Typographia Reu. Cameræ Apostolicæ: Anno Iubilei M. DC. L.

Superiorum permissu.

Imprimatur, si videbitur Reuerendiss. D. Sac. Pal. Apost. Mag.

Ascanius Rivaldus Vicesg.

OPus præsens cuius est inscriptio, Responsum ad primum Libellum R. D. Ioannis Markieuicz Canonici Posnaniensis, contra Priuilegia Apostolica Patrum Societatis IESV, & Sacræ Rotæ Decisiones ratione Exemptionis à soluendis Decimis, à Doctore Ioanne Naldo datum, distinctum in S. 205. de mandato Reuerendiss. Patris Magistri Sacri Palatij vidi, obseruauique, nihil in ipso reperi quod fidei Cattholicæ, aut immunitati Ecclesiasticæ sit contrarium, imò firmas, & in Sacris Canonibus fundatas doctrinas, ad veritatem, & iustitiam defensandam, in quorum fidem has præsentes dedi, & manu mea subscripsi.

Ego D. Ioannes Alphonsus Puccinellius Lucensis Abbas S. Petri ad Vincula.

Imprimatur,

Fr. Hyacinthus Pandulphus Magister, & Socius Reuerendiss. P. Fr. Vincentij Candidi Sacri Palatij Apost. Mag. Ord. Præd.

ILLVSTRISSIME, ET REVERENDISSIME DOMINE.



RTA lite, & causâ inter Patres Societatis IESV Collegij Cracouiensis, & R. Parochum Golambiæ, ratione Decimarum ab ipso Parocho prætensarum, eàque in Sacra Rota pro Patribus Societatis de Anno 1640. terminatâ, cùm iterum occasione Decreti exequutionis literarum Apostolicarũ, super confirmatione declarationis Sacræ Congregationis Concilij, de consensu Cleri Poloniæ, & eorundem Patrum emanatæ reuixisset; R. D. Ioannes Marchieuicz Canonicus Posnaniensis edidit libellum, contra eandem Patrum Societatis exemptionem: qui hucusque non videbatur indigere responsione, cùm vnicuique etiam mediocriter instructo, ex lectione ipsius, quantùm valeat, potuerit liquidò constare. Verùm si-

lentium & taciturnitas nostra, eidem authori ansam præbuit, vt secundum & tertium libellos superadderet: quorum postremis duobus, cùm iam sufficienter sit responsum, primum autem tanquam intactæ authoritatis, Patroni partis aduersæ etiam in Sacra Rota pro parte sui allegare cœperint; ideo expediebat etiam responsionem primi in lucem proferre: quæ multis nominibus Tibi Illustriss. & Reuerendiss. eiusdem causæ Ponenti dicari debuit. Prodeat igitur sub tanto patrocinio ista responsio; in qua Authoritas Summi Pontificis, & integritas Sacræ Rotæ Tribunalis, ab iniurijs pro modulo vindicatur; cui Decisio die 31. Ianuarij præteriti super excessu exequutionis, quæ iustitiam & æquitatem Patrum Societatis comprobat, & dicteria Aduersarij comprimit, pro coronide fuit adiecta. Romæ die 7. Aprilis 1650.

Illustriss. & Reuerendiss. D. Tuæ

Deuotus Seruus

Ioannes Naldus.

Con-

§. 1. Osuetudo noua, & valdè reprehensibilis temporibus S. Gregorij Papæ eruperat, qua nonnulli Ecclesiastici cùm res aliquas Ecclesiæ propriæ posse competere existimabant, eas absque iudicio violenter sibi arripiebant, quæ ab eodem Beato Gregorio in pleno Concilio omnibus acclamantibus Anathemate damnata fuit, ea adiecta declaratione, vt eodem anathemate is, qui Ecclesiæ præesset, innodaretur, si hoc vel ipse fieri præcepisset, vel sine sua præceptione factum, digna punire animaduersione neglexisset *cap. Consuetudo 16. q. 6.*

§. 2. Nouissimam hodie, & valdè maiori reprehensione dignam in Poloniæ Ecclesijs Ioannes Markieuicius assertus Canonicus Posnaniensis excitare conatur corruptelam, cùm illarum Ecclesiarum Prælatos, totumque Clerum, Decimas, quas ex legitimo Iudicio illis ab exemptis non competere apprimè nouit; Contra Iudicium, & rem Iudicatam iure proprio sibi ipsis vindicare, solicitat, quod si contra bonum publicum, seducens plebem, grauissima pæna, & vltimo supplicio punitur, vt *l. Denunciamus C. de his qui ad Eccles. confugiunt, & toto titulo de seditiosis eodem libro*, quæ tandem pæna debetur illi, qui Clerum, ac Præsules contra boni publici ministros, gratis commouere conatur?

§. 3. Hanc commotionem Præsulum, & Cleri totius Poloniæ, ac Lituaniæ non verbis tantum, sed, & libello typis dato Markieuicius tentauit, & fortè quicquam obtinuit: Modestiæ causa huc vsque tacuere insontes, sed quia sæpè modicus ignis ingentem flammam accendit, & ex malo principio exitus peior educitur *c. Principatus 1. q. 1.* ea propter huic malo obstare debemus, erroremque resecare, ne nos ipsi silentio consentire videamur *c. consentire dist. 83.* Error enim, cui non resistitur, approbatur, veritas, cùm minimè defenditur, opprimitur, negligere quippè cùm possis deturbare peruersos, nihil aliud est, quàm fouere *c. error dist. eadem* Immò proditor dicitur, qui veritatē cùm possit, tacendo defendere negligit *c. Clericus iuncta glos. verb. proditionibus dist. 46. c. nolite 11. quæst. 3.*

§. 4. Libelli Titulus ex primo aspectù totus apparet humilis, is enim est. Decima Cleri Sæcularis in Regno Poloniæ defensa.

contrà exemptiones Patrum Societatis per Ioannem Marchieuic I.V.D. Canonicū Posnaniensem Parisijs sumptibus authoris. Quid mitius, sed latet anguis in herba. Defensio enim supponit offensionem, supponit Patres Societatis IESV offendere Clerum ab illis offensum à Markieuicio defensum. Vno verbo tangit Patres, palpat Clerum, se ipsum mediatorem indigitat. Vno verbo, & beneuolentiam sibi, & odium Patribus comparare conatur, dum Patres Clero contrarios, diuitiarum Cleri vsurpatores, atque insidiantes, Se ipsum Cleri Defensorem pro illoque nullo stipendio, immò proprijs sumptibus militantem profitetur.

§. 5. Sed videndum est quomodo verificetur nomen Defensoris in Markieuicio: Defensor enim nomen est æquiuocum, vt bene notauit *Gloss. in Clement. si quis verbo defensauerit §. circà quartum de Panis.* Aliquando enim Defensor idem est ac Patrocinator in Iudicio, & contradistinguitur à Procuratore, quia Procurator mandatum habet à Patre, Defensor autem nequaquam, sed propria voluntate assumit defensionem *l. nam postea §. Iusiurandum, & ibi gloss. ff. de iur. iur. Gloss. in §. Procurator verbo defendere Instit. de ijs per quos agere possumus*; sed hoc modo Defensoris nomen Marchieuicio conuenire non potest quia nec coram Iudice, nec in Iudicio, nec via Iuris sed coram se ipso in itineribus per libellum causam agit, vnde diffamatoris potiùs, quàm Defensoris nomen meretur, & grauissima pœna secundum sacros Canones, capitali verò secundum *leges plecti solet. 5. q. 1. per totam.*

§. 6. Aliquando Defensor is dicitur, qui aliquem ab ictu Inimici tuetur quo sensu egregij milites, ac Duces cum ab hostibus se ipsos, resque suas, Patriam, socios, ac eos pro quibus, vel sub quibus militant, tuentur, eorum Defensores vocantur *c. nostis c. fortitudo c. non inferenda 13. q. 3.* sed hoc non potest verificari de Markieuicio, quia Patres Societatis IESV non sunt æmuli, non sunt Inimici Cleri, sed Patres, fratres, socij, eorumque salutis amantissimi: vnde contra ipsos non est opus defensione: & quatenus exemptionem, quam habent à sede Apostolica prosequantur, non propter hoc Iniuriam Clero faciunt, iniuriæ enim inde nasci non debent vnde Iura nascuntur *l. meminerit C. vnde vi*; & nemini facit Iniuriam, qui Iure suo vtitur *l. nullus ff. de reg. Iur.* Quinimo cum Marchieuicius totus insistat in detrahendo Patribus Societatis, &

in Inferendo illis Iniuriam, offenſoris potiùs quàm Defenſoris nomen aſſumit *per Textum in præcitato c. non in inferenda, & tota illa quæſt. 3.*

11 §. 7. Aliquando Defenſor dicitur, qui delictum defendit, ne delinquens puniatur ex *Gloſſ. in præcitata Clement. ſi quis*; & hoc modo Defenſor accipitur in malam partem, & punitur per adducta à *præfata gloſ. & c. 1. de off. Delegati*, & in hoc ſenſu aliquo modo licet non plenè Marchieuicio Defenſoris nomen applicatur.

§. 8. Tandem Defenſoris nomen aliquando ſumitur pro authorizatore delicti, nempè quando quis Conſilium ingerit, cooperatur, ſolicitat, & ad id, quod malum eſt ſub ſpecie boni prouocat, quo caſu ſimili pœna, Imò grauiori, quàm ille qui peccauit coercetur *c. qui conſentit 11. q. 3. c. ſanta diſt. 86. c. qui aliorum defendit errorem 24. q. 3.* & in hoc ſenſu benè, & veraciter Markieuicio Defenſoris nomen aptatur, dum Præſules, ac totum Clerum contra Patres Societatis IESV, ac alios prouocat Regulares, dum tranſgreſſionem Conſtitutionum Apoſtolicarum illis inſinuat, dum ab obedientia Summi Pōtificis illos reuocat, dum id quod iuſtum eſt denegandum eſſe contendit, dum ad tranſgreſſionem ſub ſpecie Iuris Clerum conatur inducere, dum illum à præclarè geſtis anteceſſorum degenerare ſollicitat, dum tantam liberalitatem, Religionem, Pietatem, & Vrbanitatem Prælatorum, ac totius Cleri, Poloniam contrarijs vitijs maculare contendit.

§. 9. Si verum eſt commune illud axioma, contrariorū eadem eſt diſciplina *Gloſ. in verb. ſeruari* §. *illud expeditum eſt Inſtit. de Societat.* cùm Iuſtus accuſator ſit ſui ipſius in principio ſermonis, ſanè, qui excuſationem ſuæ ſcripturæ præmittit, iuſtam Cauſam ſe non habere declarat. Pungit Conſcientia Marchieuicium liberius ſcripſiſſe, ſed dum pallio Gallicanæ Eccleſiæ, ac totius Poloniæ, turpitudinem propriam occultare, & excuſare contendit, eo ipſo veraciter ſe ipſum accuſat, ac prodit. Inquit igitur Ne in Polonia pro Iure noſtro alicui liberiùs ſcripſiſſe videremur opportunum fore cenſuimus præmittere hic aliqua ex Decretis Eccleſiæ Gallicanæ.

§. 10. In his verbis pluries Markieuicius præmittit excuſationes delicti. Primo quidem loquitur in plurali ſub nomine totius Poloniæ, vt totam ipſam Poloniam ſecum errantem indigitet.

In Polonia (inquit) pro Iure nostro videremur, censuimus. Quæ huius audacia est, vt Iniustitiæ, ac ineptitudinis propriæ totam Poloniam adstruere velit autricem? In Polonia vbi tot sunt Religiosissimi Antistites, tot doctissimi Patres, tot Iustissimi Iudices, qui Ius proprium legibus, rationibus, & æquitate defendere possunt, hodie omnes tacebunt; vnus tantum nescio quis Markieuicius, si reperitur in rerum natura, vel quisquis tandem ille sit, libello, fallacijs, mendacijs, atque iniurijs pleno, totius Poloniæ nomen vsurpabit? Iniuria hæc est maxima, quæ à Markieuicio toti Poloniæ irrogatur, speroque omnes in communi, & singulos in particulari partem cum ipso non habuisse, declaraturos libellum ipsius damnaturos, ac eumdem tanquam falsum Procuratorem punituros fore.

§. 11. Mirum sanè quòd statim oblitus sit, se esse solum Defensorem, & sine mandato in causam prodijsse, quod si mandatum habet ostendat, ad cuius instantiam hunc librum composuit, patefaciat, Quare autem commune totius Poloniæ nomen assumpsit. Respondetur breuiter, vt Patres Societatis magis offendat, vt se ipsum excuset, atque defendat. Vult offendere Patres ingerendo in animis lectorum, quòd tota Polonia ipsos odio habet, quòd totus Clerus ipsos habet offensos, ac sic ipsos toti mundo reddere odiosos, sed fallitur Markieuicius, quia Polonia tota, ac totus Clerus in communi amat, fouet, & veraciter Societatem amplectitur, licèt aliqui sint Particulares, qui ex priuatis eorum affectibus, ac Passionibus minùs diligant, sed non nocet Societati, quia scriptum est, odio habuerunt me gratis, & non est Discipulus supra Magistrum. Vult autem defendere, & excusare se ipsum dùm communi errore profitetur errare, quasi error communis sit excusabilis, sed in hoc etiam fallitur, quia falsum est suppositum, vt diximus, & verissimũ est contrarium, nempè quòd boni omnes, maior, & sanior Pars Poloniæ Patres Societatis IESV amant, & communiter obseruant. Vnus Markieuicius harum est Iniuriarum author, vnde non solùm ex hoc capite non excusatur, sed imò tanquam falsus Procurator, & nominis communis vsurpator venit secundum sacras leges grauissimè puniendus.

§. 12. Secunda excusatio est, quod pro iure proprio scribit ideo excusari debet, si liberiùs loquitur. Respõdetur si iuste pro iure pro-

prio, seù Poloniæ laboraret, nulli iniuriam faceret, nec damnandus esset, quia nemini debet subtrahi ius suum *Instit. de his qui sui &c.* *S.fin.* & quoad hoc superfluum est se excusare, quia excusatio non est necessaria, vbi quis ius habet *l. scire etiam oportet*, *S. qui non iusti*, *vers. dici*, *ff. de excusat. tutor.* sed punctus est, quòd non laborat pro iure Poloniæ, sed pro iniuria Societatis, dum vult illius exemptionem vulnerare, illius priuilegia aboleri, ipsosque Patres bonorum Cleri auidos, & rapaces indigitat, ex quo non solùm non excusatur, sed imò accusari, & puniri debet, & quidem seuerè, quia iniuria iudicatur atrox ex qualitate personæ, & habitus, puta contrà Sacerdotes, & Religiosos *l.4. C. de iniurijs.*

§. 13 Tertio excusari conatur Markieuicius à libertate scribendi exemplo Ecclesiæ Gallicanæ; eò vel maximè quòd non videtur ipsi talis libertas damnanda, sed nec multis, at solùm paucis, vndè dicit alicui videremur, quasi dicat maior pars, & communiter non reputabit me scripsisse liberiùs, sed alicui posset apparere; ideò ad tollendùm illi omnem scrupulum, ecce exempla Ecclesiæ Gallicanæ, quæ liberiùs contra Patres Societatis IESV loquitur. Sed quæso vnde videmus in decretis ab Ordinario adductis Patres Societatis despici, probris, & mendacijs iniuriari?

§. 14 Hæc excusatio non modicam inurit Ecclesiæ Gallicanæ iniuriam, dum aduersarius Sanctissimos, & Christianissimos Præsules ad suimet sensum ducere conatur. Esto adsint aliqui non bene Patribus affecti, vt in omni Natione, quæ sub Cælo est, facilè reperientur, cur toti nationi hoc adscribitur? Nouit Gallia tota, nouit Mundus vniuersus, quanti faciant Societatem IESV Ecclesiæ Gallicanæ. Hodie semilinguis homo contra Patres totam Galliam fingere nititur, & hoc eorum verbis, eorum decretis adstruere conatur, ex quibus talia Ecclesias illas, nec somniasse colligitur, sed quid mirum? ex ijsdem floribus mel colligit apis, venena fucus; ipsa sacræ Scripturæ littera iniquos occidit, cuius spiritu viuificantur insontes.

§. 15 At quid sibi vult in hoc Markieuicius? vt quid excusationes istæ in peccatis? fortè ex vulgato illo vult excusari; error communis ius facit *l. Barbacius, & ibi gloss. verbo reprobari, ff. de offic. Prat.* & error Principis item ius facit, quia, & alij debent sequi, quod ipse facit *l. supellectile iuncta gloss. verb. vsu Imperatorum, ff.*

de supellect. legat. Authoritate igitur horum Præsulum, & totius Cleri ab errore aduersarius excusari conatur, sed præterquam quod falsè supponitur error in præfatis, & huic Axiomati contraria sunt argumenta, ibi à *gloss. adducta*, quod non ratione, sed errore introductum est, sustineri non posse *l. quod non ratione, ff. de ll. & Senatus Consultus*, & nihil esse tàm contrarium consensui, quàm error *l. si per errorem, ff. de iurisdictione omnium Iudicum, & similia*. Respondetur in leuibus, authoritas Principis, aut consuetudinis potest excusari *ex gloss. in c. multis verb. hortatu dist.* 17. Secus in grauioribus, quia oportet obedire magis Deo, quàm hominibus.

§.16 Nec potest Aduersarius allegare ignorantiam, quia magistri assumpsit officium, aliàs verificaretur illud si Cœcus Cœcum ducit, ambo in foueam cadent *c. adeo, §. vt itaque distinct. 37.* Vnde illius ignorantia est ex culpa quæ semper nocet *c. omnes, §. ex his, vers. ignorantia enim* 28. *quæst.* 1. & bene de illo dici posset, quòd noluit intelligere, vt bene ageret, *dist. 37. vbi supra.*

§.17 Sed videamus an ex Gallicana Ecclesia adductæ authoritates, sinistræ Aduersarij interpretationi, contrà Patrum Societatis exemptiones, consentiant, Primo autem adducitur *cap. 19. quod est de decimis ex lib. 6. tract. 9. decretorum Ecclesia Gallicana authore Bochelio lib.* 8. Scitis quòd omnium malorum radix est cupiditas &c.

§. 18. Ad hanc, & sequentes authoritates Respondetur primo generaliter quod ex dispersis vnius libri sentẽtijs non potest efficax desumi argumentum, cùm sententia ex præcedentibus, & sequentibus diuersas possit recipere interpretationes, sicuti enim leges priores ad posteriores, & è contrà posteriores ad priores trahi dicuntur, limitantur, inuicem supplentur, ac corriguntur *l. non est nouum, & l. sed & posteriores iuncta gloss. ff. de ll. & Sen. Conf.* Imò vna pars legis, alteram declarat *l. qui filiabus, §. 1. de leg.* 1. Ita in qualibet scriptura ex præcedentibus, & sequentibus, intelliguntur media *gloss. in l. Ille à quo §. 2. verb. verba fideicommissi, ff. ad Sen. Conf. Trebell.* ex his igitur concisis decretorum sententijs nihil certò potest statui contra Patres, eò, vel maximè, quod nullibi Patres Societatis nominantur.

§. 19. Et nihilominus Respondetur, quod Ecclesia Gallicana inuehitur contra cupiditatem, & auaritiam, & sanè rationabiliter,

quia peccata sunt detestanda, & punienda, & aliquando culpa esset, culpæ relaxare vindictam, *c. quia culpa dist.* 28. sed non per hoc inuehitur contrà personas, & minùs contra Patres Societatis à quibus talis cupiditas ex proprio Instituto longè abest, nec rapiunt, aut auferunt, quod alienum est, sed tuentur quod sibi fuit ab Apostolica Sede concessum, & propterea cùm tacitè Marchieuicius adducendo contra Patres præfata Decreta, seu sententias, vitia, & culpas in illis sententijs expressas, ipsis Patribus attribuere videatur; ac sic famam totius notare Societatis, ideò operæpretium est, breuiter ab impetitis ipsam vindicare Societatem.

§. 20. Primo Patres Societatis ex hoc quòd Decimas vti à Sede Apostolica exempti, soluere recusant, vitio cupiditatis notantur, ibi, scitis quod omnium malorum radix est cupiditas, publicè tamen dicitur, & nos id ipsum cum lacrymis recensemus quod vsque ad Congregationes vestras ausa est irrumpere.

Cupiditas strictè pro vsura sumi solet *dist. 47. per totam*, & in hoc sensu non credo quòd Aduersarius cupidos dicat Patres, quia hoc non facit ad causam Decimarum. Vnde lato modo sumit ipse cupiditatem pro appetentia, & dilectione Terrenarum rerum ad *text. in cap. omnes eidem dist.* quo sensu malorum omnium dicitur radix etiam in *Conc. Trid. sess. 22. cap. 11. de reformat.*

§. 21. Sed si Institutum Societatis perpendatur ex Bulla Iulij Tertij, quæ incipit Exposcit debitum, sub data 12. Kal. Aug. 1550. totum oppositum apparebit, quia Patres sunt cupidi animarum, non rerum, & eatenùs rebus intendunt, quatenus pro exercitijs ad salutem animarũ necessariæ sunt. Vnde bona, quæ possident non Patrum sunt, sed eorum quorum procurationes quodammodo gerunt ad *text. in c. quod autem* 28. *quæst.* 7.

Hinc in Constitutionibus Societatis *par. 3. cap. 1. §. 25.* Paupertas proponitur diligenda vt mater, *& par. 6. cap. 2. §. 1.* vt murus Religionis, & propterea Professionem emittentes promittunt nihil contra paupertatem circa Cõstitutiones innouaturos, *& par. 10. §. 5.* Propugnaculum dicitur Religionis, & propterea omnis auaritiæ species ableganda dicitur, & nihil pro administratione Sacramentorum, aut sacramentalium accipiendum statuitur, & tanta debet esse à terrenis alienatio, vt omnes semper animo ad mendicandum parato existere demandentur *par. 6. cap. 12. §. 10.*

§. 22. E contra autem totus Societatis amor, & affectus, ac tota cupiditas in eo est, vt proximus adiuuetur, non verbis quidem solùm, sed magis operibus, *vt per totum cap. 4. part. 7.* ap paret, vbi quòd proximus iuuatur bonis operibus, sanctis desideriis, Missarum sacrificijs, Sacramentorũ administratione, Verbi Dei prædicatione, pijs Colloquijs, lectionibus, & alijs exercitijs spiritualibus, ac etiam corporalibus pro adiuuandis infirmis, pauperibus, carceratis &c. Hæc sunt exercitia Societatis inter Catholicos, in Missionibus autem ad Hæreticos, ac Infideles vltrà hæc est sanguinis proprij, ac vitæ pro Christo, Fide Catholica, ac animarum salute voluntaria profusio.

§. 23. Sed fortasse dicet Marchicuicius Societatem quidem habere sanctas Constitutiones, sed Patres illas non obseruare, ac transgressores esse, & hæc est secunda particula eiusdem sententiæ transgressionis Mater. Cui respondetur, esto, quòd in Societate essent aliqui particulares Terrenarum rerum cupidi, & Constitutionum transgressores, quod esse solet in omni Congregatione, cùm in Angelis quoque suis Deus repererit prauitatem, non propter hoc tamen debet Marchieuicius toti detrahere Societati, sub qua tot Patres reiectis sæculi vanitatibus, gratum altissimo præbent sub humilitatis spiritu famulatum, & seruentibus studijs per exempla virtutum, & solidam doctrinam alios ad Diuinæ Maiestatis obsequia trahunt (sunt verba Iulij Tertij in Breui, quod incipit, *Sacræ Religionis*, sub data 22. Octobris 1552.) & nullum aliud fœnus expectant, quàm cælestem retributionem, iuxta *tex. in cap. fin. dist. 46.*

§. 24. Subiungitur tertio loco Patres nocendi arte callere, ibi magistra nocendi, sed attento præfato Societatis Instituto, quod totum in obsequium est proximi, facilè excluditur, siue sumatur nocere propriè pro damno corporis *ad l. 1. §. hac autem ; ff. de his qui deiecerint, vel effuderint*, siue sumatur latissimè etiam pro damno rerum, ac negociorum, quia cùm nocere, & prodesse sint contraria, & Patres habeant ex Instituto cunctis prodesse tàm spiritualiter, quàm corporaliter, vt vidimus, profectò omnis nocendi animus, & ars à Societate excluditur.

§. 25. Quarto iniquitate notantur ibi Primipilaria iniquitatis, sed excluso nocendi animo, excluditur quoque iniquitas, quæ ad nocendum occasionem suggerit *cap. inter hac 34. de pœnit. dist. 3.*

Iniquitas enim designat irrationalem impetum, & quasi flammam ignis, quæ celerrimo motu, ac fumo innocentiam, & virtutem exurit, & ideò subiungitur, quòd iniquitas omnia præcipitat, quam quidem iniquitatem Dei Sacerdotes non habent, qui peccata Populi comedunt, quia non solùm non nocent, sed immò nihil aliud quærunt, nisi vt pœnitentes, hoc est peccatores conuersi saluentur, vt patet in toto illo *cap. ex origine super Leuitico desumpto.*

§. 26. Quinto in prædicta sententia malitia notantur Patres ibi Auriga malitiæ; sed tamen à Patribus excluditur, quia mala non sunt, nisi quæ crimine mentem implicant, & conscientiam ligant *c. illa 15. quæst. 1.* denegare autem decimas ex priuilegio Apostolico in sacra Rota per plures decisiones, & sententias canonizato, ac per res iudicatas in perpetuam obseruantiam deducto, nec implicat crimen, nec conscientiam ligat. Malitiam propriam Marchieuicius pandit dum in irrationabiles passiones, ac iniurias in Patres, quod præcauere posset, voluntariè prorumpit *ad text. in citato c. illa.*

§. 27. Sextò sine virtute, ac per consequens vitiosi Patres indigitantur, ibi, sicaria virtutum, sed ex quo vidimus Patres denegando ex priuilegio Decimas, nec crimen inuoluere, nec conscientiam ligare, ex necessaria consequentia sequitur, quòd nec per hoc vitiosi sint, nec virtute priuentur. Non nisi enim per vitia virtus excluditur *c. consideres, §. dolendum de pœnit. dist. 5.* Vitium enim adeo contrarium est virtuti, vt ex quo illud cessat, eo ipso virtus ingrediatur, cùm renunciatur improbitati, statim asciscitur virtus, egressus enim malitiæ, virtutis operatur ingressum, eodem studio, quo crimen excluditur, innocentia copulatur, vt benè *Ambros. lib. 2. cap. 4. de Caim, & Abel. relat. in c. cùm renunciatur 23. quæst. 1. vbi gloss.* ait neminem simul posse esse bonum & malum, imò nec etiam posse in medio statu permanere. Si igitur Patres vitiosi non sunt vt diximus, sequitur pernecessè, quod nec à virtutibus excludantur.

§. 28. Septimo seditiosi dicuntur, ibi seditionis origo: seditio est tumultuosa Plebis Commotio, quasi seorsim itio, idest in diuersum applicatio *gloss. tit. de seditiosis in libro C.* quæ quidem Patribus Societatis non possunt accōmodari, nisi in bonam partem, quatenùs verbo, & exemplo, ac prædicationibus, tàm publicis, quàm priuatis intendunt fideles, & maximè Plebem à communi vitiorum

licentia remouere,& ad virtutem allicere, ex quo Apostoli,& Apostolorum magister Christus Dominus noster, seditiosi nomine sunt notati. In malam autem partem commouere Plebem, ac Clerum, proprium est Marchieuicij vt suprà diximus S. 2.

§. 29. Octauo notantur scandalo, ibi fouea scandalorum: Scandalum est cùm quis aliquid facit, vel dicit eo affectu, vt aliquis peccatum incurrat *Naldus post D.Thomam, ac alios in summa verb. scandalum nu.* 1. ob illud vitandum quando Decimæ in aliquo loco non sunt in vsu, Ecclesia illas ommittit exigere, vt post *D.Thomam, Caietanum, & alios dixit idem Naldus vbi supra num.*4. cùm igitur Patres denegent soluere Decimas, ad quas ex priuilegio non tenentur, & quæ non sunt in vsu, non possunt dici incidere in culpam scandali: incurrit benè aduersarius in eam, ex quo Clerum, & Populum in contemptum priuilegiorum Apostolicorum, ad earum exactionem commouet, & vrget ab illis exigi, à quibus de vsu, & consuetudine non exiguntur.

§. 30. Nono Patres insimulantur de rapina, ibi Nisi rapueris, quod alienum est, & tamen nihil hæc habet cum Patribus, siue sumatur rapina pro violenta ereptione, siue sumatur pro vsu pariter violenter erepto, ad communem raptus diuisionem adductam à *Gratiano c. fin.* §. *ex hoc in fine 36. quæst.* 1. Patres enim Decimas non arripiunt violenter à Clero, nec violenter proprijs vtuntur priuilegijs, sed legitimè, ac iuridicè virtute suorum priuilegiorum eas soluere recusant. Ipsi potiùs Marchieuicio Raptoris nomen adaptatur, qui libellis suis famæ detrahit Religiosorum, & tales solent grauiùs à lege puniri, & rationabiliter, quia Raptor res aufert externas, detractor personas ad *text. in c. deteriores 6. quæst.* 1.

§. 31. Decimo vsurpatores dicuntur ibi nisi Clericis Decimas auferatis. Auferre importat authoritate propria de manu alicuius eo inuito aliquid eripere *l. quo naufragium,* §. *non solum autem iuncta gloss. verb. abstulit, ff. de incendio &c.* Hoc autem est non iudicialiter; sed manibus proprijs ac per vim, id quod suum esse videtur, sibi arripere ad *text. in cap. consuetudo 16. quæst.6.* sed hoc non conuenit Patribus, qui iure medio propriam Iustitiam prosequuntur, sed benè ad hoc Clerum, & Præsules Poloniæ excitare conatur Marchieuicius vt supra excitato *cap. consuetudo in principio demonstrauimus.*

§. 32. Vndecimò Patres vitam propriam dehonestare contendit, ibi vitam vestram non modicè dehonestat. Honestè aliquid facere est id facere, quod licèt; Vnde è conuerso aliquid fieri non posse dicitur, cùm illud non licet, & honestè fieri non potest *gloss in l.vulgo, verb.non licet,ff.de stat.homin.* & aliquid dicitur quis posse, quod salua dignitate potest *l. nepos ad finem. ff. de verb. signif. & est. text. expreß. in l. filius, ff. de condit. instit.* & fructus aliquando dicuntur honesti, cùm licitè percipiuntur, aliquando inhonesti, cùm sine iure retinentur *l.fructus iuncta, gloss.verb. potuerunt, ff.de rei vindicatione.* Si igitur Patres negarent, quod debent, aut peterent quod non debent, vitam propriam dehonestarent, at cùm liceat illis ex priuilegio Apostolico denegare Decimas, illas denegando nihil dehonestum committunt, vitam propriam Marchieuicius dehonestat, hortando Clerum ad opponendum se Constitutionibus Apostolicis, & ad petendum id quod illis non debetur, ad quod hortari, nec licitè potest, nec debet.

§. 33. Remissis per aliquot dies negocijs medicinæ causa ad Libellum D. Ioannis Markieuicij ab anno præterito intermissum redeamus. Vidimus in præcedentibus *cap.19. de decimis* desumptum ex decretis Ecclesiæ Gallicanæ *lib.6.tit.8.* non militare contra Patres Societatis sequitur de priuilegijs, & dispensationibus *tit. 2. cap.1.* ex quo tres sententias adducit Markieuicius. In prima inuehitur contra Immunitatem exemptorum à solutione Decimarum, dicens ipsam esse iniuriosam, & adducit rationem à Terris, seu Territorijs deductam, quia nempè Terræ erant obnoxiæ Decimis antequam ad manus peruenirent exemptorum, & quod Decimæ soluuntur non intuitu personarum, sed Territorij ratione.

§. 34. Quòd iniuriosa non sit exemptio Patrum ex eorum personis, eò quod ius suum prosequantur, diximus supra §. 6. quod etiam non sit iniuriosa ex persona Summi Pontificis concedentis. Patet ex, eo quòd ipse pariter vtitur iure suo in administratione Ecclesiæ vniuersalis sibi à Deo concessa, & apud eum non est acceptatio, nec respectus personarum, sed maiorem Dei gloriam, & bonum intendit animarum, de potestate verò illius circà Decimas diximus in responsione ad secundum Markieuicij libellum §. 24. adducentes exemplum matrimonij per illius potestatem circa habilitatem contrahentium, licèt ipsum de iure diuino existat.

§. 35. Fundamentum etiam, quod adducitur pro statuenda iniuria, subsistere non videtur. Decimæ enim absolutè loquendo non fundantur super Terris, seu Territorijs, sed potiùs super hominibus, Terras, ac Territoria colentibus. Vnde Terræ incultę vt Noualia, de iure communi non sunt Decimarum solutioni obnoxiæ *c. ex parte il 1. de decimis*, nec etiam subsistit absolutè, quod in Decimis indicendis non habeatur ratio personarum, sed solummodò Terrarum, quia imò principaliter personæ intenduntur. Vnde Decimæ propriè fundantur ex eo, quòd Decimator tradit spiritualia, & recipit temporalia ex quo enim Parochus Sacramenta plebi administrat, ex eo ab ipsa Plebe Decimas de bonis cultis recipit; & in hoc etiam fundantur exemptiones Regularium, ex quo enim ipsi à Parochis Sacramenta non recipiunt imò ipsi Parochos in Sacramentorum administratione coadiuuant, ex hoc, & à præstatione Decimarum liberantur, & capaces ipsi Decimarum efficiuntur.

§. 36. In secunda parte, quæ incipit *Non ponimus os nostrum in Cœlum &c.* inuehitur Marchieuicius contra illos exemptos, qui cùm ex paupertate per Summos Pontifices à Decimarum solutione facti sint immunes, multiplicatis postea possessionibus, nimiùm incipiunt Ecclesijs, à quibus eximebantur, esse damnosi. Ad hoc absolutè loquendo non habemus quid respondeamus, hic est enim sensus, & *text. c. suggestum de decimis*, & si Marchieuicius prætendit Decimas in terminis illius Capituli; damus manus, probet requisita cap. & nos offerimus compositionem rationabilem in terminis eiusdem Capituli.

§. 37. In tertia parte, quæ incipit *cum Dominus præcipit, &c.* Ponit Marchieuicius Decimas solui de Iure Diuino, & vult innuere, quod Papa aduersus earum solutionem non potest dispensare, quòd tamen qualiter intelligatur, diximus in citata responsione ad secundum libellum §. 24. Non negamus enim Decimas deberi de Iure Diuino, sed dicimus Papam posse declarare personas habiles ad dandum, & recipiendum Decimas, & sic in exemptione, ac priuilegijs quæ habent Regulares à Sede Apostolica, non est contradictio cum diuina iussione, nec exempti vigore priuilegiorum Apostolicorum præiudicant puritati conscientiæ, iuxta præfata priuilegia non soluendo.

§. 38. Post hæc adducit Marchieuicius sententiam *ex Cod. lib.*

Ecclesf. Gallic. cap. 3. quæ talis eſt. Nullam ob cauſam Papa diſpenſare poteſt de eo, quod eſt Iuris Diuini, & naturalis, neque ea de re cuiuis gratiam facere ei per Concilia licet. Hæc ſententia duas habet partes, in prima enim ponit. quòd Papa non poteſt diſpenſare contra Ius Diuinum, ac naturale, in ſecunda quòd non poteſt diſpenſare in id quod ſibi per Concilia non conceditur, quoad primam partem iam diximus qualiter diſpenſet in Decimis in citato §.24. reſponſionis ad ſecundum libellum.

§.39. Secundum æquiuocationem includit, quia abſolutè loquendo Papa non ligatur Concilijs, nec ab illis recipit Poteſtatem, ſed habet facultatem ſupra Concilia, & eam recipit à Deo; Ligatur ſolùm à Concilijs in rebus Fidei, quando ipſa Concilia à Sede Apoſtolica ex Cathedra Petri ſunt approbata; Cæterum quando Concilia non ſunt approbata à Sede Apoſtolica, & quando non cõcernunt materiam Fidei, Papam ligare non poſſunt, & per conſequens hæc aſſertio; Concilia non dant facultatem Papæ eximendi à Decimis ergo Papa non habet talem facultatem, non eſt vera; quia vt diximus Papa non habet ſuam facultatem à Concilijs, ſed à Deo, nec ligatur ab illis imò ipſa totum quod habent roboris; à Sede Apoſtolica conſequuntur.

§.40. Tandem adducit Marchieuicius ſententiam ex Ioanne Gerſon, in ſermone coram Alexandro Papa, in qua Author dehortatur Papam à diſpenſatione contra leges, ſed ſubdit niſi aut neceſſitas vrgeat, aut communis prouocet vtilitas, quæ duo concurrunt in exemptione Regularium ipſi enim pro ſalute animarum omninò ſunt neceſſarij ad prædicandum IESV Chriſti Euangelium, & Sacramenta Eccleſiæ adminiſtranda, quæ Parochi ob multitudinem Credentium, ſoli peragere non poſſunt; Ad quam vtilitatem, & neceſſitatem attenderunt Summi Pontifices in conceſſione Immunitatum, non ad importunitatem petentium, vt patet in exordio litterarum Apoſtolicarum Pauli III. Pij IV. & Gregorij XIII. in exemptione Societatis Iesv, & in ſimilibus aliorum Pontificum pro ipſis, ac alijs Regularibus.

§.41. Ex quibus tolluntur etiam illæ conſequentiæ, quòd diſpenſatio dicatur Crudelis diſpenſatio, quia cùm bona Eccleſiæ miniſtris, & operarijs conceduntur non diſſipantur, ſed in æterna Tabernacula cuſtodiuntur, & quatenùs eſſet diſſipatio, non eſſet

Crudelis, sed iusta, & sancta, iuxtà illud, dispersit dedit pauperibus iustitia eius manet in sæculum sæculi. Nec dispensatio lege communior est, quia Regulares respectu sæcularium sunt pauciores, de quibus potest intelligi illud Euangelij nolite timere pusillus grex, & nihilominus non est inconueniens, quòd aliquando exceptio Regulam suam vincat, quia est Regula communis, quòd omnis homo præsumitur bonus, & nihilominus excipiuntur mali, qui plures sunt quàm boni, quia multi sunt vocati, pauci verò electi, & stultorum infinitus est numerus, vnde hæc etiam Regula, quòd exceptio non vincit suam Regulam habet suam exceptionem.

§. 42. His præmissis Marchieuicius magno apparatu facit Dedicatoriam Nuncio Apostolico, Archiepiscopis, Episcopis, eorumque Capitulis, Cathedralibus, Collegiatis, Abbatibus, Præpositis, Parochis, totique Prouinciarum Poloniæ, & Magni Ducatus Lithuaniæ Clero, non alio fine, nisi vt appareat ipsum de communi omnium interesse agere, & vt omnes contra Patres Societatis cōmoueat; sed incassum, quia non obstantibus tantis clamoribus; negotium totum reducitur ad interesse Parochi de Golambię, Archiepiscopi tacent, Episcopi non loquuntur, Capitula non audiuntur, Cathedrales, & Collegiatæ silent, Abbates non sunt in causa Præpositi, Parochi, & Clerus totius Poloniæ, & Lithuaniæ dant manus decreto Sacræ Congregationis, & illius legitimæ intelligentiæ, vno excepto Parocho Golambiæ, qui secum vltimis diebus duos alios Drazgouiensem, & Canonicum Visliciensem sine fructu traxit, vt nempe ostenderet Sac. Congregationi Concilij multos esse in causa, & causam ipsa retineret, ac Rota sigillata esset, sed nihil actum fuit, quia eadem Sacra Congregatio iuris ordinem voluit seruari, & ideo Parochum Golambiæ, & illi adhærentes, licet multum reluctantes, ad eandem Rotam reiecit.

§. 43. Tota Epistola Dedicatoria dici potest manifestum pro digladiando, quia nihil aliud Marchieuicius agit quàm prouocare totum Clerum contra Patres Societatis, figurando eorum præiudicium communem iniuriam, damnum irreparabile, malum contagiosum, & alia, quæ cursim in hoc medicinali otio percurrere, atque currenti calamo expungere lubet.

§. 44. Præiudiciosam &c. d. sententiam Rotalem à R. P. D. Ceiro Sacræ Rotæ Auditore, in causa Cracouień Decimarum con-

tra Parochum Golambiæ, & ad fauorem Collegij Societatis IESV die 4. Iulij 1641. latam, esse præiudiciosam Illustrissimo D. Nuntio, & cæteris in titulo prænotatis.

§. 45. Si quæratur: quodnam præiudicium Nuntio Apostolico generauit hæc sententia? nihil sane respondere potest. Quia Nuncius non est Decimator in Polonia, quod ego sciam; si dicatur etiam quodnam præiudicium attulit Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus &c. nec minùs respondere poterit; quia ipsi vltra suas Decimas Religiosis concesserunt imò sunt Principes ditissimi, & crederem eos hac Dedicatoria offendi potiùs, quàm defendi. Hoc ipse Aduersarius nouit. Vnde statim se ipsum correxit, ac Prælatos maiores à minori Clero diuisit illos non exiguum dolorem, istos damnum, & iniuriam irreparabilem à præfata sententia reportasse subiungens.

§. 46. Dolor de se est passio animi ob apprehensionem alicuius mali coniuncti, vel imminentis *ex D. Toma 1. 2. quæst. 35. & seqq.* In hac sententia Rotali nullum est malum, quia est iustissima, & seruatis seruandis lata, iustitia autem de se bonum est, ac virtus, vnde homo prudens de illa lætari debet, non dolere: Impingit igitur Marchieuicius Prælatis maioribus passionem, & dolorem iniustum, & eorum se ipsum sine causa ingerit consolatorem Cæterum de damno minori Clero illato iam diximus supra §. 36. quod si damnum est, in terminis *c. suggestum habet remedium ex illo*, si non est in illis terminis, non est considerabile in comparatione maioris vtilitatis, & necessitatis, cuius intuitu priuilegia exemptionis, concessa fuerunt vt diximus §. 40. De iniuria autem irreparabili sæpè diximus, maximè §. 6. Iniuriam non inferri ab eo, qui ius suum prosequitur.

§. 47. Cui malo præcauendo &c. Non est mirum quod Marchieuicius incassum expectauerit aliquem virum solidioris doctrinæ, qui huic malo se opponeret, quia verum malum non erat, sed in sola mente Marchieuicii figuratum, putabat ipse omnes eandem habere speciem, quam ipse sibi fabricauerat, vel saltem eandem in omnes imprimere sperabat, sed spe frustratus fuit, nemo enim illius verbis, aut scriptis oculum, aut aurem adhibuit; sed cur inquiret vos attenditis, ac respondetis? Huic argumento fecimus satis anno præterito sub §. 3. quando incæpimus contra librum scri-

bere Aduerſarij, immò tunc neſciebamus, an reuera Author eſſet, cuius nomen inſcribebatur in libro, ſed putabamus eſſe potiùs nomen fictitium, & ideo ad initium noſtri ſcripti quod fortè ad manus aliquorum euulgatum erit, duriuſculè reſpondebamus. Nunc autem cùm iam ſciamus authorem libri eſſe verè D. Ioannem Marchieuicium Canonicum Poſnanienſem, & vidimus illius tertium libellum contra Reſponſionem noſtram ad ipſius ſecundum, miramur hominem eruditum, ſed nihilominus in ſuo ſenſu abundantem: & exinde mitiùs rem noſtram agemus, ſperantes ipſum æquo animo accepturum, ſi quid ab initio, quod duritiem præſeferat offendit, noſcens, nos non perſonam, ſed verba ſectatos.

§.48. Neminem debere cum iactura alterius locupletari. Hanc ſententiam à iure naturæ deprompṫam obijcit Dominus Aduerſarius contra Patres, ſed non ad propoſitum: quia ſupponit Patres locupletari non ſolùm cum alterius iactura, ſed etiam cum alterius iniuria, & tunc vera eſt ſententia, ſed non facit ad caſum noſtrum; quia ius Patrum omnem excludit iniuriam, vt diximus, ſecluſa autem iniuria, fallit illa Regula in multis caſibus, vt benè notauit *gloſſ. in l. iure naturæ 207. ff. de reg. iur.* vbi poſitis diuerſis fallentijs, conciliando omnia, concludit, ſed prædictis, & ſimilibus oppoſitionibus reſpondens; quod licèt fiat cum aliena iactura; tamen non fit cum aliena iniuria, cùm fiat legum auctoritate, ſic in caſu noſtro cùm locupletiores fiant Regulares non ſoluendo Decimas auctoritate priuilegiorum Apoſtolicorum, de qua quidem auctoritate nefas eſt dubitare, ſequitur quòd non faciant iniuriam, & ſint in caſu fallentiæ à Regula locupletationis.

§. 49. Et in hunc ſenſum etiam intelliguntur ſententiæ Ciceronis, & Senecæ, imò ſententia Senecæ, ſe ipſam declarat, quia Permittit opes nulli detractas ſine ſordidis quæſtibus, ſine iniuria cuiuſquam, quæ honeſtum habent exitum, & ingreſſum, quibus nemo ingemiſcat, niſi malignus; etſi Diues poteſt aperta Domo dicere, quod quiſque ſuum agnouerit tollat, etſi ad hanc vocem conſonet opus; quæ omnia probè Societati aptantur, cùm ea bona, quæ habet, etiamſi omnia eſſent occaſione Decimarum acquiſita (quod tamen falſum eſt) nihilominus non poſſunt dici alicui detracta, cùm ſint à Summo Pontifice omnium bonorum Eccleſiaſticorum adminiſtratore, conceſſa, nec interueniat ſordidus

quæstus, sed Priuilegium Apostolicum, nec vllius iniuria, vt sæpè diximus, & honestum habeant introitum ex præfatis Priuilegijs Apostolicis, ac honestum exitum pro sustentatione ministrorum Dei, & nemo ingemiscit nisi Parochus Golambiæ, ac tandem dicunt, & opus ad vocem consonant, quod in eorum Domibus, aut Collegijs nemo quicquam quod suum sit agnoscere potest.

§. 50. Sed An Societas eo modo cum Seneca &c. Hucusque Dominus Aduersarius potuit excusari, sed exinde inexcusabilis apparet, dum contra Patres inuehitur sine ratione, dum in illos inuehi conatur omnem Clerum contra rationem, & quoad Collegium Posnanień ab Illustriss. D. olim Conarski fundatū, & à successoribus auctum, & ampliatum à quibus Aduersarius dicit factum fuisse nimia liberalitate, ac pia facilitate; si attendatur necessitas, non erit nimia liberalitas, si attendatur consensus Capituli, Regis, ac Procerum Regni, non erit facilitas.

§. 51. Hæc fundatio Collegij facta fuit de Anno 1572. à Prudentissimo illo Episcopo de consensu Capituli, & præuia discussione, & longo tractatu cum Nuntio Apostolico, & probis viris dictæ Ciuitatis, & fuit confirmata ab Henrico Rege in Conuentu suæ Coronationis, præsentibus omnibus Regni Archiepiscopis, Episcopis, & alijs Ecclesiasticis, ac Laicis Regni proceribus, & hoc pro necessitate Ciuitatis, & Ecclesiæ Posnanień, ad effectum, vt ibi personæ scientia, & bonis moribus eruditæ reperirentur. Eandem fundationem Eminentiss. olim Henricus Caietanus S.R.E. Cardinalis, & ad Regem Poloniæ Legatus de Latere, habita facultate à Sanctissimo, eiusdem nomine confirmauit, & approbauit. Quod igitur hic Prudentissimus Episcopus cum tanta circumspectione, ac consilio fecit, hoc D. Aduersarius nimiæ facilitati tribuere non potest; quod fecit pro necessitate suæ Ecclesiæ, & totius Ciuitatis, non potest adscribi nimiæ liberalitati.

§. 52. Hinc apparet nullum esse locum figuratis quærimonijs, & gemitibus pauperum Sacerdotum, quia Patres Societatis ab Episcopo de consensu totius Cleri, ac Regni in hac Ciuitate fuerunt fundati, & quatenus aliquis particularis cum ipso Aduersario conquereretur, & lacrymaretur, non essent quærimoniæ iustæ, nec lacrymæ piæ, sed voluntariæ, & scandalum non datum, sed acceptum.

§.53. Fatētur Patres Clerum ab initio ipsos suis recepisse hospitijs, suo pane aluisse, suo sinu fouisse; sed negant ipsos pro damno, & iniuria fuisse conseruatos, non solùm quia ius suum prosequendo non inferunt damnum, nec iniuriam, vt sæpè diximus, sed quia Episcopis, & Parochis consilio, & opera semper præstò fuerunt, reliquo Clero eruditionibus, iuuentuti bonarum actionum, & morum Instructionibus, toti Populo Prædicationibus, & Sacramentorum, & sacramentalium administrationibus, contra hæreticos Doctrinis, & omnibus omnia facti sunt, non parcentes laboribus, ac diligentijs quibuscumque ex sincera dilectione, quam vt boni Religiosi, & pro eorum Instituto erga Beneficos, ac etiam maleficos, seu maledicentes habent.

§.54. Decimis, & alimentis nostris &c. Miror Virum eruditum, ac pium, in has prorumpere iniurias, ac asserere in causa Golambiæ à Sacra Rota ritè, & rectè terminata processum, fuisse de facto leges violatas, spretas Constitutiones; ac solum habere solatium nostra tantùm parte informante hæc omnia fuisse peracta, & confidere ex rationibus, & actibus producendis, Rotam à decisis recessuram. Scit D. Aduersarius non iniurijs, sed legibus esse agendum *C. infames. §. si quis adeo procax 3. q. 7.* & Aduocatus cuius ipse assumpsit officium, putam veritatem, & non proprium sensum sequi debet *cap. relatum dist. 38.* & modestè non tumultuosè factum proponendum, *cap. duodecim. §. quod vero in fin. cum cap. seq. 5. qu. 4. glos. in l. 1. verb. contradicere. ff. de postul. l. quisquis. C. de postul.*

§.55. Quo remedio vt nobis &c. Hinc vsque ad finem, opus esset maiori, quàm nostra Censura; quia excitare, & commouere Populum, ac Regnum integrum contra tam deuotos Regni Regulares, non est opus eruditi viri; non Aduocati, non Canonici, non Doctoris, non tandem Domini Ioannis Marchieuicij, sed hominis alieni, ac dura ferula coercendi, meliùs est igitur hoc loco tacere, quàm pauca dicere, sufficiant quæ ab initio diximus à §. 1. vsque ad 17. de approbatione autem officij Senensis dicemus ad calcem libri, vbi per extensum ponitur ipsa facultas.

Et hæc dicta sufficiant tanquam Prologomena ad libellum D. Aduersarij, nunc ad libellum ipsum accedamus.

§.56. Incipit Marchieuicius suam defensionem querendo cui,

& à quo debeantur Decimæ reales, & Primo ponit necessitatem soluendi Decimas Ecclesiæ, & illius ministris, adducens Hieronymũ, & Augustinum *in cap. Reuertimini*, *& cap. Decimæ 16. q. 1.* quibus consentit *Concil. Trid. cap. 12. sess. de reformat.* hoc facit in quatuor prioribus §.§. In quinto autem subiungit decimas deberi etiam ministris diuitibus, vel malis, quia attenditur seruitium, quod præstant Ecclesiæ, non autem eorum accidentalis qualitas. In 6. §. dicit omnes etiam Regulares ad hanc decimarum realium præstationem teneri, imò etiam Summum Pontificem, & in §. 7. reddit rationem, quia bona cum onere hoc transeunt; in 8. 9. ac 10. dicit decimas solui ratione situs terrarum, quæ decimantur, non ratione domicilij. In 11. ac 12. prosequitur exagerando ipsum Summum Pontificem teneri ad Decimas reales. Vnde in §. 13. facit illationem contra Patres Societatis, quòd eo magis ipsi eas soluere teneantur, non obstante quacunque exemptione, quam illis suffragari non autumat, ex allegato fundamento, quòd res cum suo onere transeant.

§. 57. In hac serie narrationis non negamus decimas deberi de iure antiquo, ac etiam positiuo, ministris Ecclesiæ, sed dicimus hoc debere intelligi cum limitatione ab ipso Aduersario adducta num. 6. illius verbis, *nisi vel præsumpta consuetudine, vel Pontificia dispensatione, aut priuilegio eximantur* ex qua clausula ab Aduersario adducta, & verissima, corruit tota illius fabrica, quia subsumi potest, sed Patres Societatis IESV habent pro se præscriptam consuetudinem, habent Pontificiam dispensationem, habent priuilegium exemptionis; ergo Regulæ generales non concludunt contra illos.

§. 58. Et hæc limitatio non solùm fulcitur auctoritate Laiman, & aliorum ab eodem Aduersario eodem num. 6. adductorum, sed est in iure expressa. Vnde in *cap. à nobis de decimis*, hæc habentur, quod quilibet Decimas soluere teneatur *nisi à præstatione ipsarum specialiter sit exemptus*, *& cap. statuto. §. cæterum eod. tit. in 6.* præscribitur omnibus Regularibus solutio Decimarum; *nisi super hoc speciali iure, vel priuilegio sint muniti* non igitur negant Patres Societatis Parochis, & alijs quibus de iure conuenit, Decimas esse soluendas, sed dicunt se ipsos per Priuilegia Apostolica ab hac solutione fuisse exemptos.

§.59. Hęc limitatio etiam debet intelligi in fundamento toties ab Aduersario repetito, nempè quòd res cum onere suo transit; quia hoc verum est, nisi onus ab eo auferatur, qui potestatem habet auferendi illud, qualis est Summus Pontifex; alioquin sequeretur, quòd non daretur exemptio realis, sed tantùm personalis, quod facile concederet Aduersarius, immò quantum in se est, omnem realem exemptionem eliminare contendit, eam tamen Sacri Canones, & vniuersaliter Doctores, admittunt: videatur *glos. in Clement. 1. hoc tit. verb. excolendis in fine*, vbi habetur, quòd exemptio personalis eximit tantùm Monachos, realis autem eximit etiam Colonos.

§.60. Et cum hac limitatione etiam intelligitur, quòd Papa ad decimas tenetur, quia ridiculum esset ipsum alios, ac eorum bona eximere posse, se autem, ac bona propria quocumque titulo ea possideat, redimere nō posse Vnde patet quod à primo ad totū 13. numerū aduersarius inuanum laborat, quia admissis iuribus allegatis in communi, Respondetur contra Patres exemptos nullatenus militare.

§.61. Posthæc à num. 14. vsque ad numerum 53. Aduersarius de origine exemptionum agit. Primo autem cum Roderico distinguens tempora, dicit num. 15. primum tempus esse quando Religiosi erant Laici, tunc enim ex Hieronymo adducto *in cap. alia causa 16. q. 1.* tenebātur Clericis decimas soluere, sed ex hoc duo corrolaria sequuntur, alterum quòd quando Religiosi non sunt ampliùs laici; cessat ratio soluendi decimas, quæ solùm à Laicis Clerico solui debent ex regula communi cessante causa, eò vel maximè, quòd etiam laici aliquando à solutione reperiuntur exempti; alterum autem, quòd cùm & ipsi sint Clerici, eisdem decimæ possunt concedi, quæ etiam laicis aliquando solent concedi. Quid igitur mirum si Summi Pontifices, qui personas determinare possunt, quibus, & à quibus soluantur decimæ, priuilegia Regularibus concedere possunt, non solùm non soluendi, sed immo decimas recipiendi, si ipsi Regulares Clerici sunt, si Pastoris funguntur officio, si Altari deseruiunt, si Sacramenta ministrant, si verbum Dei enunciant, si ea munia faciunt per quæ Clericis decimæ de iure debentur?

§.62. Secunda ratio non soluendi decimas, adducitur ab Ad-

uerſario num. 16.& 17. hoc eſt Religioſa paupertas, quia Religioſi maximè Mendicantes, cùm ſint Profeſſi paupertatem, non debent Eccleſijs ſoluere decimas, ex illo communi axiomate, Agris noſtris ſitientibus alios irrigare non debemus, quia ordinata charitas incipit à ſe ipſo *ad Text. in l. præſes, C. de ſeruitibus*, & ex hoc fundamento eadem duo corrollaria colliguntur, nempe quòd Religioſi Societatis IESV, cùm Paupertatem profiteantur, à decimarum ſolutione eximi poſſunt, & cùm decimæ ipſæ pro Pauperibus legitimè dentur, vt fatetur aduerſarius ex Gregorio, decimæ etiam ipſis poſſunt concedi.

§.63. Tertia ratio non ſoluendi decimas ad fauorem Regularium adducitur ab Aduerſario num. 18. in terminis *cap. quæſti. & cap. decimæ 16. qu. 1.* vbi Concilium Mogūtinum, ſeu Cabiloneñ, & Paſchalis Secundus, eximunt Monachos à ſolutione Decimarum de illis rebus, quæ proprijs laboribus, ſeu ſumptibus excolunt, & pro eorum nutrimento inſeruiunt, & hæc eſt etiam vna ex cauſis quibus Patribus Societatis à Summis Pontificibus exemptio conceſſa fuit.

§.64. Quartum tempus, ſeu quarta ratio ponitur in numeris 19. & 20. & coincidit cum præcedenti, & addit noualia ſuper quibus Ciſtercienſes, Templarij, & hoſpitalarij, ab Hadriano eximuntur à decimis *in cap. ex parte eod. tit.* ſed non per hoc excluditur, quin tractu temporis etiam alijs ſæcularibus hæc exemptio concedi potuerit à ſubſequentibus Pontificibus, vt Patribus Societatis à pluribus conceſſa reperitur.

§.65. Quintum tempus deſcribitur ab Aduerſario num. 21. & 22. quod fuit in celebratione Concilij Lateranenſis, cui præfuit Innocentius. Tertius per *cap. nuper* quod tamen recipit tres limitationes. Primo, de bonis acquiſitis ante dictum Concilium. Secundo, De bonis acquiſitis pro fundatione, & tertio niſi Regulares habeant derogationem ſpecialem dicti *cap. nuper*, cùm ſit conciliare, ex quibus infertur; ergo Ciſtercienſes non tenentur ſoluere decimas de bonis acquiſitis ante Concilium Lateranenſe, etiamſi Priuilegia eſſent Eccleſijs præiudicialia; Vnde à ſimili, nec Patres Societatis exempti à Summis Pontificibus debent ſtatim damnari ob hoc prætenſum præiudicium, quia Pontifices maius bonum conſiderantes, in eorum priuilegijs etiam dicto Capitulo conciliari de-

rogarunt.

rogarunt, & in omnem euentum debet probari magnum præiudicium, quia ex quo eximuntur, dubio procul scit Papa aliquod præiudicium Ecclesijs inferri. Vnde non simplex præiudicium, sed notabile supponitur, quod in casu nostro licet Aduersarius vociferetur, nunquam probatum fuit, nec probari potest, cùm sine decimis ditissimi multi existant Parochi Ecclesiarum Poloniæ.

§.66. Sextum tempus ponit aduersarius num. 23. continere exemptiones extra corpus Iuris per Bullas Pontificias, vt sunt exemptiones Patrum Societatis IESV, quorum priuilegia tangit in sequentibus; nempe priuilegium Pauli III. num. 24. Pij IIII. nu. 25. & 26. & Gregorij XIII. num. 27. cum derogatione *cap. nuper numer* 28. quæ quidem cùm sint clarissima, & habeant clausulas præstantissimas, non deberet Aduersarius in controuersiam deducere.

§.67. Nihilominus num 29. admiratur Aduersarius, quòd Patres Societatis sint adeo contrarij bonis Abbatibus illorum temporum, quòd ipsi petierint derogari constitutioni nuper, cui vltro Abbates supposuere ne eorum priuilegia præiudicarent Ecclesijs.

§.68 Admiratio indicat ignorantiam, & nihilominus est principium scientiæ, quia propter admirati cœperunt homines philosophari; si Aduersarius philosophatus fuisset, differentiam inter Abbates Cistercienses & Generalem Societatis IESV, euacuasset omnem admirationem, sed quia ille non philosophatur, nisi quomodo possit deprimere Societatem, ideo in magna admiratione remãsit. Videat Aduersarius doctrinam *Diui Thomæ 2. 2. q. 187. art. 6.* & videbit perfectissimam esse illam Religionem, & Episcopali ordini coniunctam, quæ docendo & prædicando exercetur, deinde subsequi illam, quæ in sola contemplatione quiescit, ac tandem in extremo illam, quæ sola est actione exteriori contenta. Sciat etiam ad finem aliquem consequendum opportuna media aptari debere; & concludat, si Societas IESV est instituta ad docendum, & prædicandum, pro huiusmodi autem exercitio multa sunt necessaria pro instruenda iuuentute, pro alendis Studentibus, ac magistris, & similia, quæ non sunt necessaria ad contemplandum simpliciter, sequitur porrò quòd pluribus opus habent Iesuitæ, quàm Cistercienses.

§.69. Si considerasset Aduersarius immensos labores, & expensas Societatis pro Collegijs ædificandis, & construendis, pro

Ec-

Ecclesijs tam diligenter exornandis, pro missionibus faciendis, pro quibus innumeros habet Alumnos, non ea dixisset de Societate, quæ insatiabilem præseferunt auaritiam: Vt quid quæso tanta anxietas in Societate diuitiarum? Quid commodi particulares consequuntur Patres? Nonne omnes moderato victu, & vestitu sunt contenti? in domibus Professis ex eleemosynis viuunt, nec obulum Collegia tribuūt, in Collegijs eadem vita seruatur; hoc iuuant opes quod vbi sunt plures, plures etiam Studentes, ac magistri comedunt eas, Vnde multitudo diuitiarum si adesset, ad maiorem Dei gloriam, & ad plurium seruiret sustentationem.

§.70. Nunquid fortè Patres diuites effecti in proprios vsus conuertunt diuitias? nunquid deuorant? nunquid canibus, aut volucribus impendunt? nunquid aleis, choreis &c. si quid huiusmodi facerent tota terra commoueretur; si igitur id quod habent, pro honore Dei, & pro bono Proximi impendunt, vt quid quæso tantam inuectiuam contra eos, vt passim ab Aduersario voraces, rapaces, alieni appetitores, oppressores, & huiusmodi nominentur? vt quid tantas exagerationes? recordetur Aduersarius (ex corde loqui profiteor) quòd linguam magniloquam disperdit Dominus.

§.71. Si bono oculo Aduersarius Bullam Gregorij XIII. legisset, non adeo Euerardum, ac ipsum Gregorium Sanctissimum Pontificem obiurgasset, breuibus ipse narrat, cur beneficium exemptionis ab alijs Prædecessoribus Societati concessum confirmasset, & Capitulo nuper derogasset, quia nempe illius Religiosi sub Sacratissimi nominis IESV totius humani generis Redemptoris vexillo ad illius honorem, & gloriam, proximorumque spiritualem profectum, ac orthodoxæ Fidei defensionem, & propagationem in Terris militant, ecce Decimæ Iesuitis conceduntur tanquam stipendium militantibus, non conceduntur voluntariè, vt libet, imprudenter, inconsideratè, sed ex onere, ex militia.

§.72. Si vni Parocho conceduntur decimæ, quia vni Ecclesiæ particulari militat, & vni Altari particulari inseruit, cur non conceduntur Patribus militantibus pro Ecclesia vniuersali, pro Defensione, & Propagatione orthodoxæ Fidei? si Patribus Cistercienfibus conceditur exemptio quia pro proprijs Ecclesijs, & personis militant Deo, cur non concedetur Iesuitis, qui pro tota Ec-

clesia vniuersali, & pro omnibus fidelibus, vt in fide contineantur, ac pro omnibus Infidelibus, vt ad fidem conuertantur, doctrina, & prædicatione vsque ad sanguinis effusionem in toto mundo militare non cessant? Hæc philosophari debuerat aduersarius, & illius cessasset admiratio, & tot paginas non impleuisset contra Patres, & tantum Pontificem iniuriarum.

§.73. Ex his apparet quòd Pater Euerardus non petijt damnosa fisco, nec iuri contraria, ac per consequens quòd non applicatur doctrina ab Aduersario adducta num.30. & descripta *in cap. nec damnosa 25. q.2.* Quia Pater Euerardus non petijt damnosa fisco, aut publicæ vtilitati, sed petijt vtilia, & necessaria pro bono totius orthodoxæ Fidei, & bono communi, quod magis attendendum est, quàm bonum particulare alicuius Parochi, & alicuius Ecclesiæ particularis, quia bonum quantò magis est commune, & vniuersale, eò magis præponderat particulari, & minùs vniuersali, ex vulgatis, vnde nec petijt quid contra ius, sed quid? quod ipsi iuri, & iuris rationi valdè consonum reperitur, si enim ratio concedendi decimas Clericis fuit vt inseruire possent eorum Ecclesijs, & Plebi, maior reperitur concedendi eas Iesuitis: propter seruitium Ecclesiæ vniuersalis, & totius Populi credentium, & credendorum, & Gregorius XIII. non fuit motus à sola supplicatione Euerardi, sed ab hoc vniuersali bono Ecclesiæ, & Fidei orthodoxæ, vt supra vidimus.

§.74. Et hac eadem ratione cessabunt admirari illi multi Iudices, & peritissimi Iurisconsulti, quos innuit Aduersarius num.31. quia si peritissimi essent, bene scirent bonum publicum præferri priuato *l.3. de Primipilio. C.lib.12.* & quæ pluribus, ac Societati prosunt in communi, præferri his quæ prosunt particularibus *l.actione. §.labeo, vbi gloss. cum concordatis verb. verum esse in fine. ff. pro socio:* Scirent etiam Summos Pontifices eadem ratione posse decreta antecessorum in melius mutare, quod veritate conuictus ipsemet Aduersarius fatetur infra num.44. vbi declarat se non intendere negare supremam in Terris Summi Pontificis potestatem, rationabili de causa, vrgente necessitate, aut stimulante publica vtilitate, aliqua non posse immutare: si igitur isti Peritissimi vidissent Bullam Gregorij XIII. profectò cognouissent quòd ipse derogauit *cap. nuper* rationabili causa, idest propter prædicationem Euãgelij; prop-

ter Defensionem, & propagationem fidei Catholicæ quæ quidem nihil magis ipsius Catholicæ fidei Caput vrgere potest, & quæ supra omnia necessaria est ad salutem animarum, & qua nihil vtilius in Christiana Republica reperiri potest.

§. 75. Non obstat Concilium Chalcedonense ab Aduersario adductum §. 32. *in c.à Sanctis 25. q. 1.* quia vel intelligitur de his, quæ spectant ad fidem, & Cōcilijs Generalibus sunt statutæ à sūmis Pontificibus, vel quatenus intelligatur de moralibus, habet limitationem præfatam, nempè non obligare cùm casus incidit maioris boni, & publicæ honestatis, vt in casu nostro.

§. 76. Nec obstat authoritas Damasi Papæ *in c. violatores 25 q. 5.* adducta à Marchieuicio *num.* 37. quia, nec Patres Iesuitæ, nec minùs, Gregorius XIII. potest dici violator Canonū, aut Blasphemus in Spiritum Sanctum; Talis enim violator, & Blasphemus dicitur, qui ipsos Canones proteruè violare præsumit; quod non facit P. Euerardus petens Apostolicam derogationem, nec minùs summus Pontifex, qui Canones præfatos ex legitima causa declarat propter maiorem vtilitatem exemptos non ligare. Violator, & Blasphemus est ipse Aduersarius, qui contra eosdem Sacros Canones, & Priuilegia Apostolica loqui præsumit, ibi Damasus declarat Imò *glos. ibi v. blasphemare*, dicit talem esse excommunicatum, & hæreticum, adducens *Gregorium in c. nulli dist. 19. & Hadrianum in c. generali eadem q.* cuius tenor est. Generali decreto constituimus, vt execrandum anathema sit, & veluti præuaricator Catholicæ fidei semper apud Deum reus existat, quicunque Regum, seù Episcoporum vel Potentum, deinceps Romanorum Pontificum Decretorum censuram in quocunque crediderit, vel permiserit violandam. Videat Aduersarius in quem laqueum se inijciat, ob tantam præsumptionem contra Bullas Apostolicas, & contra ipsos Summos Pontifices, & suæ Conscientiæ consulat.

§. 77. Nec pariter faciunt Gregorius, & Zaccharias adducti in *c. de Ecclesiasticis 25. q. 2. & c. Petisti 7. q. 1.* adducti ab Aduersario *num.* 34. & 35. quia Gregorius dicit priuilegia Ecclesiarum illis à Sanctis Patribus concessa esse obseruanda, nec ambitù stimulante illis derogandum, Gregorius autem XIII. non fuit motus, aut stimulatus ambitù, aut superbia ad derogandum iuri communi, sed euidenti, & maiori, ac publica vtilitate, vt vidimus. Ambitùs,

& superbiæ inexcusabilis conuincitur Aduersarius, qui præsumit Decretis Pontificum contraire, & os in Cœlum ponere, & Pontifices ipsos ambitù notare. Zaccharias autem loquitur de successore, qui Episcopo viuente, eius loco eligitur, quod non est faciendum, quia est contra Ecclesiasticam Regulam, vel instituta Patrū, quid quæso hoc cum exemptione à Decimis? quæ consequentia est? Zaccharias prohibuit Episcopo sibi eligere successorem, Ergo Gregorius non potuit concedere Iesuitis exemptionem à Decimis.

§. 78. Non obstat etiam Constitutio *Gelasij in cap.* 1, 25. *q.* 1. adducta ab Aduersario *num.* 36. vbi dicitur, quod Sedes Apostolica debet seruare ea, quæ in vniuersali synodo sunt constituta, quasi dicat; sed *c. nuper* extat in generali synodo Lateranensi, igitur non potuit illi Papa derogare, Responsio ad hoc argumentum est nota aduersario *num.* 40. dicit Hæc aliquis subtilis Theologus in articulis fidei procedere fortasse contendet, quasi quòd responsio non esset euacuans dubitationes, & nihilominus non est opus tanta subtilitate ad sciendum, quòd Papa ita est super Concilia, vt licet non possit quicquam determinare contrà id quod de fide iam legitimè stabilitum fuit, potest tamen ea mutare, quæ spectant ad mores, & ad regimen externum, cùm viderit hoc ex maiori vtilitate, vel temporum vicissitudine, magis in Domino expedire, vt non solùm de antiquis, sed de nouissimo concilio Tridentino quotidiana experientia videmus; quid igitur mirum si Gregorius ob rationes supra adductas Lateranensi Concilio censuit derogandum.

§. 79. Authoritas Beati Gregorij *in c. Ecclesia* 25. *q.* 2. adducta ab Aduersario *num.* 37. non facit ad causam, quia loquitur de his, quæ per sententiam definita sunt, quæ amplius à Iudice non possunt retractari, quia iam functus est officio suo, & quod hic sit germanus sensus illius authoritatis patet ex *Gratiano* 35. *q.* 9. *vbi in 1. cap.* adducit ad hoc propositum hanc eadem authoritatem, & ex *gloss. quæ adducit c. quod benè* 6. *q.* 3. vbi adest exceptio nisi fortassis vbi fuerit maior authoritas quia Iudex superior potest sententiam Iudicis Inferioris reformare; quid igitur ex hac auctoritate colligit Aduersarius, Iudex lata sententia non potest ampliùs in Causa se immiscere, igitur Gregorius non potuit *c. Nuper derogare*, bene possumus illud vsurpare, quid Lunæ cum Gambaro?

In

§. 80. In authoritate Leonis *c. qua ad perpetuam* 25. *q.* 1. adducta sub *num.* 38. vel allucinatur Aduersarius, vel nos sophistice fallere credit, supponens propter bonum commune Clericis Decimas fuisse concessas, & propter bonum particulare Iesuitas ab illis fuisse exemptos, est enim totum oppositum, quia Decimæ Clericis fuerunt concessæ propter bonum particulare illorum Ecclesiarum, & Plebis, sed Iesuitæ fuerunt exempti propter bonum vniuersale totius Ecclesiæ, & omnium fidelium, vt diximus. Vnde authoritas Leonis, vel intelligitur de articulis fidei, vt videtur sentire *gloss. ibi v. nulla commutatione*, & non facit ad casum nostrum, quia iam scimus Papam ea, quæ fidei sunt, non posse mutare vel intelligitur de his quæ non sunt circa fidem, & tunc Regula est pro nobis, quòd bonum publicum præferatur priuato, vt benè *gloss. ibidem vers. nec ad priuatum*.

§. 81. Et secundum hoc sententia *Vrbani in c. sunt quidam* 25. *par.* 1. Apud Aduersarium *num.* 39. est omninò extrà rem, quia loquitur apertè de spectantibus ad fidem, & de definitis ab Apostolis, & Prophetis contra quæ non potest dispensare Papa, sed ea debet vsque ad animam, & sanguinem confirmare, sed argumentũ ex hoc capite est eiusdem farinæ cuius sunt superiores, quia dicere Papa non potest dispensare in articulis fidei, igitur non potest eximere Iesuitas à Decimis, est ridiculum: inter articulos fidei nunquam legi quòd Iesuitæ teneantur soluere Decimas.

§. 82. Hanc difficultatem Aduersarius *num.* 40. dicit soluisse Zosimum *in c. contra statuta* 25. *q.* 1. sed hoc est magis ridiculum, quia etiam authoritas Zosimi loquitur de articulis fidei, & est Textus magis declarans præcedentem, videat Aduersarius glossam, quæ breuis est dicens contra statuta, scilicet vt dictum est de articulis fidei supra *c. proximo quid clarius*?

§. 83 Sequitur Aduersarius *num.* 41. adducens authoritatem *Leonis in c. fin.* 25. *q.* 1. vbi Leo videtur restringere potestatem summi Pontificis non solùm circa articulos fidei, sed etiam circa mundanas leges, & propterea Gregorium non potuisse Concilio Lateranensi derogare in *c. nuper* etiam si de rebus fidei non disponat, sed nihilominus hæc eadem Leonis authoritas diuersas habet responsiones, & videtur coincidere cum antecedentibus, ac restringere se ad ea quæ sunt fidei, dum ait, ea, quæ ipsi Diuino Concilio statue-

runt intacta esse conseruanda, sed Patres diuino Consilio non statuunt nisi ea, quæ spectant ad fidem, quæ diuino afflati spiritu ex Cathedra Petri decernunt, ac per consequens possunt dispensare in his, quæ extrà Cathedram humano Consilio decreuerunt.

§. 84. Et nihilominus ad hanc, & ad alias authoritates præcisiùs infra cum Gratiano respondebimus. Sequitur Aduersarius adducens *num.* 42. auctoritatem Gregorij ex *c. Institutionis* 25. *q.* 2. quod tamen non facit ad propositum, quia, vt ibi gloss. declarat, in casu, Gregorius dicit, quod Episcopi non possunt rescindere Priuilegia à sede Apostolica literis, seù oraculo aliquibus concessa, sed ea debent adimplere, quid sibi vult hoc? Episcopus non potest derogare Priuilegijs Apostolicis; ergo Papa non potest concedere Priuilegium Iesuitis, vel non potest derogare *c. nuper.* si valet hæc Consequentia, dicant Nouitij Dialecticorum.

§. 85. Ex his omnibus auctoritatibus firmat aduersarius in *num.* 43. consequentiam illatam à *Gratiano in* §. *si ergo primum post c. Ideo permittente* 25. *q.* 1. nempè quod Papa non potest concedere Priuilegia, quæ contra statuta Sanctorum Canonum, & quibus status Ecclesiarum, vel confundatur, vel perturbetur. ò virum Doctissimum, ò subtilem Theologum, ò concludentissimum Dialecticum. si sequamur hunc modum intelligendi, ac interpretandi scripturas, possumus ex Diuo Thoma omnem, & quamcũque hæresim firmare, & probare possumus cum sacra scriptura, omnem, & quamcunque blasphemiam adstruere, nam in principio cuiusque articuli D. Thomas argumentatur contra quamcũque veritatem Catholicam, & moralem: exempli causa *in* 1. *parte q.* 3. *art.* 1. probat Deum esse Corpus, quia in sacra scriptura trina illi dimensio attribuitur *q.* 30. *art.* 1. probat in Diuinis non reperiri plures personas, quia cũ persona sit rationalis naturæ Indiuidua substantia. si plures personæ in Deo ponuntur; ergo sequitur quòd sint plures substantiæ, Quid diceret Aduersarius? Credo quòd responderet Doctrinam Diui Thomæ in Corpore articuli, & in responsione ad argumenta contineri, non autem in argumentis, quæ ad initium articuli contra se facit. Optima responsio, sed hoc idem debebat ipse in Gratiano obseruare, qui 25. *q.* 1. & 2. ponit aliqua argumenta contra se ab auctoritate diuersorum Pontificum ab Aduersario *à nu.* 32. *vsq. ad.* 42. adductorum; ex quibus facit illationem contra se, ab Aduersario

num.

*num.*43; canonizatam; sed postea præfatis auctoritatibus, & illationi respondet. Vnde Doctrina Gratiani non fundatur in dictis auctoritatibus, & illatione, sed in responsione Gratiani, & earum solutione.

§. 86. Gratianus igitur in causa 25. facit duas quæstiones, primã, An Papa possit concedere Clericis quibusdam Decimas integras eorum Parochiæ, secundã an possit concedere exemptionem Regularibus, & in vtraque primo ponit varias auctoritates pro negatiua, ex quibus infert si igitur primam sedem statuta Conciliorum præ omnibus obseruare oportet &c. patet quòd contra statuta sacrorum Canonum, quibus status Ecclesiarum, vel confundatur, vel perturbetur, priuilegia ab Apostolico cõcedi non debent. Hucusque Marchieuicius legit, & in his omne suum argumentum fundat. Mirum sanè quòd lectionem prosequutus non fuerit, & tamen immediatè Gratianus sequitur His ita respondetur, Sacrosancta Romana Ecclesia ius, & auctoritatem sacris Canonibus impertitur, sed non eis alligatur Habet enim ius condendi Canones, vtpote quæ caput est, & Cardo omnium Ecclesiarum, à cuius Regula nemini dissentire licet ita ergo Canonibus auctoritatem præstat, vt se ipsam non subijciat eis; quod exemplo Christi, & multis auctoritatibus vsque ad finem quæstionis prosequitur.

§. 87 Et in puncto Decimarum dicit, quod in his materijs sacri Canones semper intelliguntur præseruare auctoritatem Sedis Apostolicæ, & concludit. Quæcunque ergo de Decimis, vel quibuslibet Ecclesiasticis negotijs sacris Canonibus definiuntur, intelligenda sunt, necessariò seruari, nisi authoritas Romanæ Ecclesiæ aliter fieri mandauerit, vel permiserit; Ecce Germana doctrina Gratiani, ex qua rite concluditur, ergo cum Generale Concilium Lateranense de Decimis, ea quæ in *c. Nuper definierit*, auctoritatem Summi Pontificis in illo reseruasse, intelligitur, & sic Gregorius XIII. absque labe blasphemiæ eidem propter communem Ecclesiæ vtilitatem ad fauorem Societatis potuit derogare.

§. 88. Hic liceat aliquid diuinare, est ne credendum Aduersarium non vidisse Gratianum? non videtur credendum, quia verbis ab ipso ex Gratiano citatis num. 43. statim sequitur solutio quæstionis, ac doctrina præfata: ergo vidit Gratianum, si vidit, est ne credendum quòd mentem Gratiani non intellexerit? non videtur

credendum; quia est Doctor, & esset magna iniuria tam patentem ignorantiam illi irrogare. Si intellexit; est ne credendum, quod putauerit Nos suis sophismis inuoluere, & fallere? non est credendum; quia licet nos teneret ignorantes, attamen in re tam graui, putasset bene nos adituros Gratianum, & illius mentem, ac sensum auctoritatum adductarum scrutaturos. Igitur quid sibi voluit Aduersarius ex hac fallacia? Respondetur, nihil aliud quàm auram apud simplices Sacerdotes, qui videntes eius librum, & auctoritates adductas, & nescientes illius argumenta soluere, crederent ipsum esse adeo doctum, vt nullus adinueniri possit, qui illi responderet; hoc fassus est ipse dicens non semel, à tot annis non fuisse repertum in Polonia, neque in Hispania, aut alibi, qui illi respondere posset; bene dixisset, qui respondere vellet, quia huiusmodi argumentationes non sunt dignæ responsione, sed tandem necessitate pulsi, ne simplices vlterius decipiantur respondere fuimus coacti.

§ 89. In num. 44. Aduersarius perplexus ex dictis voluit se ab audacia in Summum Pontificem, & Sedem Apostolicam excusare, & dicit non dubitare de suprema illius in Terris potestate ob rationabilem causam &c. sed Religionem Polonam admirari facilitatem derogandi ad vnius supplicationem decretis Conciliaribus contra supradictas auctoritates. Sed iam supra vidimus Pontificem hanc derogationem fecisse ob publicam totius Ecclesiæ vtilitatem prudentissimè, & cum magna consideratione, ac deliberatione. Vnde litteras incipit ab admonitione diuina: Cura, inquit, nostri Pastoralis officij ex alto commissa nos admonet, quasi dicat, non se moueri simpliciter ad supplicationem Euerardi; sed accepta occasione ab ista supplicatione eleuauit se supra se, ac considerauit An hoc conueniret Curæ Pastorali sibi à Deo concessæ, & in mente quasi diuinum accepisse responsum, ac admonitum, quòd ea, quæ concessa reperiuntur Regularibus sub vexillo Crucis militantibus, suum debent sortiri effectum, vt ipsi Regulares laborare possint ad honorem, & gloriam Dei, ad Proximorum salutem, ac orthodoxæ Fidei defensionem, & propagationem; ecce quod Gregorius non fuit motus à simplici Euerardi supplicatione, non concessit hoc priuilegium clausis oculis cum facilitate, sed prouidè, prudentissimè, cum matura consideratione pro bono publico totius Ecclesiæ Catholicæ, & omnium fidelium, & propterea vana est, & nimis audax cen-

sura Aduersarij, imò temeraria, & blasphema, vt supra num. 76. ex Damaso probauimus.

§. 90. Et ex his patet Responsio ad auctoritates, quas deinde Aduersarius adducit, ad probandum decreta, & priuilegia Pontificum, ac Sedis Apostolicæ non debere emanare faciliter, inconsultè, nec subitò, sed summa prudentia, circumspectione, ac consideratione, *vt Gregor. in c. communis filius dist.* 23. adductus ab Aduersario num. 45. quia dicimus Gregorium XIII. consultè, maturè, ac omni circumspectione *c. Nuper* ad fauorem Societatis derogasse, & obseruandũ, quòd in citato *c. communis* verbis nouis declarat, prudentiæ, & maturitati satisfactum esse, quando constat de euidenti vtilitate constitutionis, quæ in casu nostro manifestè apparet, vt vidimus; vnde huiusmodi auctoritates non faciunt contra nos.

§. 91. Nec pariter facit auctoritas Nicolai *in c. Apostolicæ* 35. *quæst.* 9. adducta ab Aduersario num. 46. quia habet duas responsiones. Prima est quòd loquitur de sententia definitiua Sedis Apostolicæ, quæ irretractabilis dicitur à Iudice inferiori, & tamen ab eadem Sede per viam restitutionis retractari potest, vt ex communi stylo Signaturæ Gratiæ apparet. Secundo quòd decreta quæuis Sedis Apostolicæ dicuntur non posse retractari, nisi habeant in ventre contrarium, vt quando decreta sunt temporalia, vel habent aliquam conditionem, quæ retractationem, vel mutationem compatiantur, vnde cõcludit nisi fortè sic prolata sit vt retractari possit, vel immutanda, secundum præmissæ tenorem conditionis existat. Cum igitur in materia Decimarum, & similium decreta Ecclesiastica habeant semper, vel habere intelligantur illam conditionem, salua Sedis Apostolicæ auctoritate, vt diximus supra §. 87. patet vtique quòd Constitutio Conciliaris *in c. nuper* non est adeo inretractabilis, vt ei à Gregorio XIII. ad fauorem Societatis ob bonum publicum non potuerit derogari.

§. 92. In num. 47. & 48. Aduersarius iam concedit Papam posse suas, vel Prædecessorum retractare Constitutiones, sed hoc dicit ex causa quam ipse adducit exemplo nostri Greg. XIII. qui retractauit Constitutiones Pij V. ad fauorem Regularium concessas ex eo, quia ipsæ litteræ Pianæ loco extinguendi lites inter Ordinarium, & Regulares, vt ipse sperabat, maiores potiùs concitauerant. sed quid concludit hoc argumentum. Potuit Gregor. XIII.

dero-

derogare litteris Pij V. ob bonū particulare Religiosorum, nempe ad effugiendas lites, ergo non potuit idem Gregorius derogare Cōcilio Lateranensi ob bonum publicū totius Ecclesiæ: hoc est argumentum nouum, cuius non credo Aristotelem habuisse notitiam.

§. 93. Sequitur Aduersarius nouis semper, & inauditis argumentis probare, non potuisse Gregorium XIII. concedere Patribus exemptionem contra formam *c. Nuper*, & num. 49. facit argumentum tale. Greg. XIII. reuocando Constitutionem Pij, declarat multa in litteris ipsius Pij cōtra illius mentē, & aliter, quàm ordinauerat irrepsisse; ergo priuilegiū etiam ab ipso Patribus Iesuitis concessū, multa contra mentē ipsius, & aliter quàm ordinauerat, habuit in scriptis edita. Probatur quia ex dicta reuocatione optimus Pōtifex præfatum priuilegium iustificat, seu excusat. O subtilissimum Dialecticum, ab vno particulari colligere propositionem vniuersalē! Constitutio Piana meruit à Gregorio retractari, ergo etiam Constitutio Gregorij; in Constitutione Piana irrepsit quid contra mentem ipsius Pij, & aliter quàm ipse ordinauerat, ergo etiam in Constitutione Gregorij, si vera est hæc figura argumentandi, Nos etiam possumus argumentari. Gregorius potuit reuocare Constitutionem Pij, ergo Gregorius potuit reuocare Constitutionem Innocentij.

§. 94. In num. 50. facit aliud argumentum *ex gloss. in citato c. Apostolicæ, vers. de coquitur 35. quæst. 9.* vbi quod in rescriptis Apostolicis nihil debet reperiri reprehēsibile, ex quo videtur innuere, quòd litteræ Gregorij XIII. contineant quid reprehensibile, omisso quòd Aduersarius deberet linguam cohibere loquendo de Pontifice Sanctissimo. Respondetur quòd illud reprehensibile à gloss. declaratur circa latinitatē, sed subdit Aduersarius, iniusta esse reprehēsibilia, vnde etiā rescripta; ex hoc capite videtur asserere esse reprehensibile rescriptū Gregorij ad fauorem Societatis, quia iniustum, & adhoc adducit Innocentium Tertium *in cap. cum adeo vbi gloss. vers. moderemur*, sed mihi videtur Aduersarium esse magis reprehensibilem, censurantem de iniustitia tantum Pontificem, nec illud *c. nec gloss. ibi hoc innuit*. Imò dicit totum oppositum, nempè quòd aliquando ex obliuione Pontifex falli potest, & hoc quia solius diuinitatis est omnium habere memoriam, & in nullo peccare, adducens ad propositum diuersa, quæ si legisset, vel attendere voluisset Aduersarius, in tantam iniuriam Summi Pontificis non ir-

ruiſſet, hoc tamen non eſt mirum, quia apes ex amaris dulcedinem, & veſpæ ex dulcibus ſemper deligunt amarum.

§. 95. In num. 51. Aduerſarius comprobat id, quod diuinando diximus ſupra, nempe ipſum vidiſſe, & intellexiſſe Gratianum, & cognouiſſe sēſum illius in adducēdo illas auctoritates ab ipſo Aduerſario tantùm exageratas, hic enim, quaſi hucuſque locutus ſit ex aliorum ſenſu, admittit reſponſionem Gratiani, quam ſupra non vidiſſe fingebat, & dicit cum eo, in Summo Pontifice eſſe quidem poteſtatem obſeruandi ſacros Canones non tamen neceſſitatem; at è contra in alijs neceſſitatem adeſſe, & concludit, quòd Eccleſia Romana poteſt concedere priuilegia particularia eximentia à decretis generalibus. Si hoc ita eſt, & ita ab Aduerſario intelligitur Cur quæſo tot auctoritatibus, & ſuppoſita Gratiani auctoritate contraria, ſupra nixus eſt demonſtrare contrarium? Cur Summum Pontificem Gregorium adeo reprehendit? Ipſum iniuſtum, reprehenſibilem, Canonum violatorem, & blaſphemum indigitauit.

§. 96. Reſpondet Aduerſarius cum Gratiano, quia in his priuilegijs menſura eſt ſeruanda, quam non ſeruauit Gregorius, quia Ieſuitas ita diuites fecit, vt in paupertatem multos deiecerit, ſic ex Gratiano concludit num. 52. & per regulam iuris 48. quòd nemo cum iniuria, & iactura alterius debet locupletari abſoluit.

§. 97. Sed apud Dialecticos hæc vocaretur petitio principij, quia ſupponit id, quod probare debet, probet Aduerſarius diuitias Societatis; probet paupertatem Parochi Golambiæ, probet Gregorium XIII. habuiſſe pro ſcopo derogationis *cap. Nuper ditare Ieſuitas*, depauperare Parochum, probet iniuriam, & abſque eo quod confundat decreta Patrum, & Conciliorum; habebit ex ipſis ſacris Canonibus remedium promptiſſimum, & ſufficiens, nempe *c. ſuggeſtum de decimis*, in quo contra ditatos ex priuilegio conſulitur Pauperibus.

§. 98. Hoc autem effingit Aduerſarius, & nunquam probauit, nec probare poteſt, quia Societati conceſſæ ſunt diuitiæ non ad crapulas, & ebrietates, ſed ad neceſſarium eorum nutrimentum, vt in Vinea Domini laborare poſſint, prout vſque ad ſanguinem laborarunt, & laborant, & ſic cantant omnia eorum priuilegia, Pauli Tertij, & Sixti Quarti, & Gregorij XIII. & aliorum, vt ſupra pluries docuimus.

§ 99. Hæc est prima pars Aduersarij, in qua dicit se in genere exemptionem Patrum euacuasse, nunc videamus quinque fundamenta particularia, quibus asserit se eadem priuilegia penitus sugillasse.

§. 100. Format igitur Aduersarius quæsitum num. 54. An Patres Societatis successores in bonis Collegiorum, ab oneribus eorum, hoc est à solutione Decimarum, per priuilegia sint exempti, & statim negatiuè respondet.

§. 101. Primum fundamentum est auctoritas Rotæ apud Seraphinum in vna decisione Valentina de anno 1598. quæ est in ordine 1293. qua firmatur Patribus Societatis non suffragari priuilegia Apostolica non soluendi decimas, nisi solum de Decimis à iure communi prouenientibus, non autem de his, quę à iure particulari proueniunt, vt ponit ipse num. 55. & 56. & hanc conclusionem confirmat num. 57. & 58. ex Gratiano, Marescotto, & alijs, adducens rationem, quia Papa præsumitur ignorare ius particulare, ac per consequens illi derogare noluisse, & num. 59. subsumit, sed in Polonia Parochis non debentur Decimæ in vim iuris communis, sed in vim iuris particularis, ergo clarè sequitur, quòd in Polonia priuilegia exemptionis Patribus non suffragantur.

§ 102. Hoc argumentum, fateor, habet aliquam speciem rationis, & talem, quòd re vera Rota illis temporibus in eam declinauit sententiam, sed nihilominus, re maturiùs considerata, Rota ipsa ab illa decisione, & sententia recessit, & contrariam rationabiliùs amplexata fuit, nempe quod priuilegia suffragentur Patribus, etiam contra ius particulare; quia licet illud Papa ignorauerit, nihilominùs bene sciebat exemptionem esse alicui præiudicialem, & sic tacitè illi derogauit.

§. 103. Sciendum est enim quod Archiepiscopus, & Capitulum Valentinum prætendentes habere ius speciale decimandi, eò quòd Vrbanus Secundus inhærendo concessioni, quæ prætenditur facta ab Alexandro Secundo, Sanctio, & Petro Regibus Nauarræ, & illius successoribus, concessit Decimas de Ecclesijs quas iure Belli in Terris Saracenorum acquisituri essent, vel in proprijs hæreditatibus fundarent, hoc ius a Iacobo Petri filio, Archiepiscopo, & Canonicis Cathedralis Ecclesiæ Valentinæ prætendebant fuisse concessum. Vnde ex hac speciali concessione, credebant habere

fun-

fundatam intentionem contra omnes Regulares, non obstantibus eorum exemptionibus, quibus huiusmodi concessioni derogatum non putabat.

§. 104. Mouerunt igitur iudicium de anno 1595. contra Patres Ordinis Sancti Hieronymi, asserentes se esse in possessione huiusmodi Decimas exigendi *per l. diffamari*, & causa fuit commissa R. P. D. Hieronymo Pamphilio, cui subrogatus fuit Seraphinus à quo ad fauorem Archiepiscopi, & Capituli emanarunt de anno 1598. duæ decisiones in ordine 1293. & 1295.

§. 105. Adita Signatura Sanctissimi per Patres Societatis, Clemens Octauus fælicis recordationis ordinauit, quod Rota haberet considerationem decisionis Cassadori, quæ est prima de priuilegijs, in informationibus Partium, allegatæ: qua considerata, proponente Litta, emanauit ipsius decisio reuocatoria decisionum Seraphini, & est in ordine 48. post recentiores, & ex tunc Rota semper sensit priuilegia Societatis suffragari etiam contra ius speciale, per rationem contrariam rationi Seraphini, nempè quia Papa concedendo exemptionem, semper scit se alicui præiudicare; ratio autē Seraphini bene concludit in concessione iuris decimandi. quia tunc Papa intelligit præiudicare alicui. Vnde necessarium est, quod habeat scientiam in terminis præfatæ primæ decisionis Cassadori.

§. 106. Hanc recessionem Rotæ nouit Aduersarius, quia n. 60. citat decisiones Coccini, & Carrilli in causa Decimarum Cordubeñ de Lucena, contra D. Ducem de Cardona, quibus etiam successerunt decisiones Merlini, & in illa causa dictus Dux ex rationibus allegatis succubuit, licèt in hoc eodem iure speciali fundaretur.

§. 107. Nititur Aduersarius elidere decisiones Rotæ, adducens eorum fundamentum esse in simplici particula, Aut alias &c in priuilegio Patrum contenta, quòd scilicet Rota tenuerit Iesuitis suffragari priuilegia, quia in illa derogatur, non solùm iuri communi, sed etiam iuri speciali, quod Rota prætendit verificari illud Aut alias &c. quidquid sit de hoc, certum est, quod fundamentum Rotæ est in ratione, quam reddit, contraria rationi Seraphini, vt fatetur ipse Aduersarius num. 60. Et propterea frustrà est respondere inutilibus quæstionibus, quas mouet in sequentibus numeris vsq. ad totum 66. hoc est, An illa particula trahatur ad Decimas supra

mediatè nominatas, An verò ad alia verba interposita; & An ex hoc priuilegia exemptionis sint restringenda vti odiosa; An per illam intelligentiam amplientur, ex quibus vanè concludit num. 67. Rotam modernam tam paruo fundamento intellectûs vnius dictionis, non potuisse præiudicare Rotæ antiquæ, quæ secundùm ipsius rudem intellectum melioribus nitebatur fundamentis &c.

§. 108. Aduersarius sua solita intellectus fœcunditate, nouos semper partus adinuenit, scit quòd tres sunt gradus comparationis, Positiuus, Comparatiuus, & Superlatiuus, ad hanc similitudinem adinuenit tria genera decimationum, aliqua positiui, quæ decimantur de iure speciali, ergo oportet adinuenire etiam aliqua superlatiui, quæ decimentur de iure specialissimo, dicit ergo nu. 68. & 69. Concedo quòd Iesuitæ virtute priuilegiorum exempti sunt à decimatione positiua, quæ est de iure communi, & dato etiam non concesso, quod essent exempti à comparatiua de iure speciali, certum est, inquit ipse, quòd non sunt exempti à superlatiua de iure specialissimo, & subsumit, sed ius decimandi in Polonia est specialissimum, ergo clausula, Aut alias, illis non suffragatur.

§. 109. Quod Decimæ in Regno Poloniæ sint specialissimæ, ac per consequens clausula, Aut alias, ad illas referri non possit, patet, quia Decimæ in Polonia nullam habent dependentiam à Romano Pontifice, sed proueniunt ex mera Regum liberalitate, à Regibus Clero donatæ, Fundationis, dotationis, aut donationis titulo: O sententia sanè quidem suo Auctore digna, qui reperit nouas Decimas à Pontifice non dependentes, quales quæsò sunt istæ Decimæ, spirituales ne, an non? si spirituales sunt, quomodo a Summo Pontifice non dependent, qui eas Regibus concesserit, vel donauerit; si spirituales non sunt, quomodo Decimæ Ecclesiasticæ dicuntur? Audiat iste Doctor Innocentium Tertium *in cap. dudum de Decimis.* Donationis Regis, ac Reginæ allegatus titulus nullus erat, cum sacrilegii crimen incurrat, qui Ecclesias, vel Ecclesiasticum aliquid de manu receperit laicali; audiat Calixtum, seu Paschalem Secundum *in cap. si quis Principum 16. quæst. 7.* Si quis Principum, vel aliorum laicorum dispositionem, seu donationem rerum, siuè possessionum Ecclesiasticarum sibi vendicauerit, vt Sacrilegus iudicetur. Hic possemus deducere multa Corollaria, sed intelligenti pauca, sufficit quòd Auctor suam nouit leuitatem. Vnde in fine

numeri

numeri 69. fatetur hæc posse videri leuiuscula, & recurrit ad Regulam, quòd pro euitando damno, & præiudicio quælibet interpretatio, & occasio etiam leuissima, sufficit, sed contra Constitutiones Apostolicas clausulis prægnantissimis munitas, non sufficiunt hæ leuitates, sed immò potiùs requiruntur probationes luce meridiana clariores, quæ ob sui reuerentiam paratam semper habent executionem ad instar *l. fin. C. de edict. D. Adrian. tollen.* vt prudentissimè firmauit *Rota in vna Hispalen. dimidiæ portionis, die* 17. *Decembris* 1635. *corā R.P.D. Coccino*. Vnde à primo ád vltimum, fundamentum primum Aduersarij contra exemptionem Patrum adeò ab ipso exageratum reducitur ad leuissimam interpretationem, & occasionem, qua totum Clerum Poloniæ defensare contendit.

§.110. Secundum fundamentum ab Aduersario iactum n.70. & seqq. est, quod exemptio à Decimis intelligitur de illis, in quibus, nemo in possessione reperitur, non autem de illis, quæ ab aliquibus ante priuilegium possidebantur, quia nemo priuatur, saltèm inauditus, iure suo, est mirandus Aduersarius in suis argumentationibus, quia sicut bonus Cocus fercula eadem scit diuersimodis in mensa deferre, sic noster Canonum Interpretator; supra dixit res cum onere transire, & quia respondimus hoc verum esse, nisi qui potestatem habeat, onus transferat, addidit quod nemo præsumitur à Pontifice eo iure priuari, quod Pontifex ignorat. Respondimus hanc ignorantiam non præsumi, sed è contrario præsumi scientiam, hoc loco dicit, quòd Decimæ in quarum possessione quis reperitur, non intelliguntur comprehensæ in exemptione Regularium, quod est dicere Papam non posse eximere Regulares à solutione Decimarum in communi, sed solùm à Noualibus.

§.111. Fatemur nos quoque exemptionem simplicem à noualibus non præiudicare illis, qui in possessione sunt exigendi, nisi expressa de illis fiat mentio, vt egregiè *Abbas in cap. dudum de Decimis*, & post ipsum alij communiter docuerunt; sed non valet postea hoc argumentum in exemptione Generali ab omnibus Decimis, qualis est exemptio Societatis per Priuilegia amplissima Pauli Tertij, Pij IV. & Gregorij XIII de quibus supra, & propterea non valet argumentum aduersarij, quia ab affirmatiua particulari non potest colligi affirmatiua vniuersalis: Petrus est Monoculus, ergo omnis homo est monoculus; valet bene ab affirmatiua vniuersali

d affirmatiuam particularem per Barbara, Iesuitæ sunt exempti ab omni Decima, igitur etiam à Nouali, ergo etiam à Decima debita de iure communi, ergo etiam à Decima speciali, ergo etiam à Decima in cuius quis antea erat possessione.

§.112. In num. 71. & 72. Aduersarius nititur censurare Sacram Rotam coram *Carillo in Corduben. decimarum de Lucena*, dicens ipsum adducere *cap. quamuis* ad probandum exemptionem Patrum etiam contra Possidentes, & nihilominus illud *cap. non facit ad propositum*. Vnde potiùs Rota videtur citasse ex aliquo Repertorio erroneo, quàm vidisse Textum.

§.113. Cauillantes omnia susq. deque confundunt, at distinguendo omnia concordantur, & clarè demonstrantur *in cap. quamuis* citato Bonifacius Octauus quærit, An restitutus ad expectatiuam reuocatam præiudicet illi, qui intermedio tempore per similem gratiam fuit prouisus & dat duas responsiones Primā si in restitutione primi appareat expresè quod Papa voluit præiudicare secundo, nulli dubium est, quod illi etiam possidenti præiudicauit, quia vt inquit gloss. ver. expresse hoc Papa potest facere adducēs *cap. penult. de praben. in 6. vbi tam in Textu, quam in gloss. ver. ignoranti* apertè declaratur Papam etiam ignoranti obesse. Secunda Responsio est, quòd si non appareat de mente Pontificis, tunc non præsumitur Papam illum restituere cum præiudicio alterius.

§.114. Dicit igitur Rota apud Carillum, Papam etiam possidentibus per Priuilegia Patribus concessa; præiudicasse, quod probat non solùm *cap. quamuis*, vt figurat aduersarius, sed per clausulas generales, & amplissimas, quibus declaratur quod ipsius mens est præiudicare quibuscūque. Vnde supposito quod expresè constet de mente Pontificis, vt profectò per dictas clausulas amplissimas, & alia iura ibi in toto §. ex quibus Priuilegijs, adductis, sequitur pernecesè, quod etiam possidentibus præiudicauerit, & in his aptissimè, & concludenter adducit *cap. quamuis* in quo Bonifacius dicit, quod quando constat expresè, quod Papa voluit præiudicare secundo ad fauorem primi, pronunciandum quid clarius: Aduersarius autem confundit illam patentesim, nisi de hoc expresè dixerimus, quæ est Prima responsio; cum fine capitis, sine iuris præiudicio alieni, vbi est secunda responsio; etiam nos concedimus, quod Papa non præiudicat Possessori quando non apparet de illius

 mente,

mente, sed dicimus, quòd potest præiudicare, & præiudicat, quã-do de illius mente apparet, quod autem in casu nostro appareat de mente Pontificis, non probat Rota ex *cap. quamnis*, sed probauit antea ex generalitate clausularum, ex illis verbis quibuscũque &c. quæcunque &c. quæ habent vim specialis expressionis, etiam in casibus vbi nominatio etiam specifica requiritur, & ab illis abhorret omnis restrictiua, vt ex multis ibi cumulatis Rota probauit, ex quibus apparet, quod si Aduersarius supra num.67. fassus est rudem habere intellectum pro sustinenda sententia Rotæ antiquæ, sanè quidem in præsenti demonstrat rudiorem, & rudissimam in censurando modernam.

§.115. A num.73. vsque ad totum num.81. inutiliter vagatur aduersarius circà ius quæsitum alteri, & varia cumulat sine vlla rationabili conclusione, contra authoritatem Sedis Apostolicæ super illius derogatione, poterat autem labori parcere si breuiter dixisset, vnumquemq; Pontificem ipso die suæ assumptionis inter alias Cancellariæ Regulas, hanc etiam promulgare, suæ intentionis non esse iuri alicuius velle præiudicare, nisi expresse huiusmodi Regulæ appareat se velle derogare, de potestate enim illius nefas est dubitare, de voluntate autem apparet, quando, vel derogat per clausulam contrariam, hoc est, non obstante Regula de iure quæsito, vel per clausulas æquiualentes, aut fortiores, & vniuersaliores, vt in casu nostro, vel quando materia super qua disponit, est de sui natura præiudicialis, tunc enim non est necessarium aliam derogationem apponere, quia in huiusmodi actu incompatibili non est necessaria huiusmodi derogatio, ad tradita per *Seraphin.decis.* 1445. *numer.4. & 6. & decis.* 208. *num.2. & seqq. part.3. recent.* vt pariter in casu nostro, cum exemptio à solutione decimarum sit huiusmodi naturæ, vt supra ex Coccino, Carillo, & Merlino probauimus, & passim in Rota, & authoritatibus de hac materia tractantibus apparet.

§.116. Vnde authoritas Alexandri III. *in cap. super eo de offic. deleg.* quam adducit Aduersarius numer.73. soluitur ex prædictis, quia Papa committendo causam appellatione remota, non intendit præiudicare tertio, qui non est in causa, per Regulam communem, quod Papa non intendit iuri alicuius derogare, sed si in ista commissione esset derogatio iuri Archidiaconi, vel subintelligere-

tur

tur ex claufulis latiffimis, vel ex materia fubiecta, bene poffet, fed non folùm præfata in ifta commiffione non apparent, immò adfunt aliæ Regulæ contrarium innuētes nempè quod res inter alios acta, alteri non nocet, & fimiles, de quibus *glof. fin. in eodem cap.* ideo non eft mirum quòd Papa declaret dictam claufulam appellatione remota, non afficere alios non litigantes, & in caufa intereffe habentes; quia ifti bene non obftante tali claufula, appellare poffunt, & eorum appellatio admittitur, ac executio fufpenditur, vfquequo aliud à Sede Apoftolica pronuncietur.

§. 117. Minùs officit *cap. dudum de Priuilegijs adductum nu. 74.* quia Priorifla, & Moniales de Campeffe, non habent Priuilegium generale de non foluendo Decimas, fed fpeciale de non foluendo noualia; Cùm igitur Prior, & Conuentus de Rutele effet in poffeffione exigendi huiufmodi noualia, patet profectò, quòd illi Papa præiudicare non intendebat, non facta de hac poffeffione mentione, fed fecus eft in cafu noftro, in quo Patres abfolutè ab omni decima eximuntur, vt bene *Abbas, & alij fcribentes fuper præfato cap. declarant*, & nos tetigimus fupra §. 3.

§. 118. Hoc idem refpondetur *ad l. Prætor ait 2. ff. ne quid in loco publico*, vbi quod femper Princeps intendit præferuare damnum alterius, quia hoc nos etiam fatemur, quando non conftat de eius voluntate, at quando ex caufa, & propter bonum commune alicuius commoditati intendit præiudicare, bene poteft per leges, *glof. ibi ver. commodum allegatas*, & per regulam communem, quod publicum femper præfertur commoditati priuatæ.

§. 119. Authoritates Menochij Sanctarelli, & aliorum adductæ num. 76. 77. 78. & 79. eandem recipiunt interpretationem, nempè quòd Papa, fi non conftat de eius voluntate, nunquam intelligitur præiudicare tertio, & in dubio præfumendum eft non præiudicaffe, fed hic non eft cafus nofter, quia de voluntate Papæ non eft ambigendum, cùm clarè conftet, vt deduximus.

§. 120. Nec obftat quod Aduerfarius num. 80. dicat, enixam voluntatem Papæ, probari folùm ex motu proprio, quia licèt vnus modus probandi enixam Papæ voluntatem fit ex eo, quod litteras motu proprio, & non ad alicuius inftantiam promulgauerit, non per hoc tolluntur centum alij modi ad eandem enixam voluntatem demonftrandam accommodati, ex quibus felegimus tres

supra §.115. nempè, quando in litteris apponitur derogatio Regulæ de iure quæsito, vel apponuntur clausulæ vniuersales, vel materia de se est præiudicialis. Nec in casu nostro verificari potest id quod dicit Menochius, quòd in litteris ad instantiam partis præsumitur Papa non agere id, quod agendum esset, sed importunitati partium adhærere; quia ex causis allegatis à Gregorio XIII. in illa Bulla Pastoralis, apparet, quòd mouetur ob bonum publicum, & alijs rationabilibus causis, non ad consulendum importunitati Patris Euerardi.

§.121. Vidit Aduersarius authores adductos ad suum sensum non concludere, immò alios authores contrarium apertè docere, ideo num.81. illos nititur interpretari, quòd nempè intelligatur de modico præiudicio; ita vt Papa non possit præiudicare, cùm agitur de præiudicio enormi, sed tantùm de modico, & subsumit, sed derogatio iuri nostrarum Ecclesiarum, est cum enormi præiudicio, ergo Papa illis non poterat derogare, quicquid sit de hac distinctione super modico, vel enormi præiudicio, quòd stat pro maiore, præuidit Aduersarius minorem nos fore negaturos, ideò ad illam probandam se accinxit quod insequentibus restat examinãdũ.

§.122. Tertium igitur fundamentum, quo nititur Aduersarius num.82. vsque ad 88. probare exemptionem Patribus Societatis non suffragari, est propter hanc prætensam enormem læsionem, & Primò incipit à casibus Conscientiæ, dicens, quod si læsio sit clara priuilegiatus eò ipso absque alia reuocatione amittit Priuilegium, ac tuta Conscientia illo vti non potest, adducens Suarez & alios, quos si Cõsiliarios habuisset Euerardus derogationem non petijsset, & subiungit huius ætatis homines hanc non habere conscientiam &c. Vnde hæc omnia scripsisse dicit ad faciendum scrupulum Patribus, ne vtantur priuilegio cum detrimento, & læsione Ecclesiæ.

§.123. Circà hoc fundamentum cùm Aduersarius agat de Consciẽtia, silet officium Aduocati, & Procuratoris, quia per clausulam secundùm Conscientiam cessat necessitas vtendi iudicialibus, vt post Vgonem de Clausulis dixit *Salustius in suo Formulario lib.1. cap.22. num.9.* & super hoc Ecclesia in foro exteriori non iudicat, vt bene Suarez adductus ab Aduersario num.85. sed negotium hoc remittitur proprijs Superioribus Regularibus, quibus

in vim Constitutionum totam conscientiam Patres aperire tenentur, vt constat *par.4. cap.* 10. §.5. *& par.6. cap.1. §.2.* Vnde cùm tàm ipsi, quàm eorum Superiores sint Docti, & experti, standum est testimonio eorum propriæ conscientiæ iuxtà Regulam Apostolicam *Rom.9.1.& 2.Cor.1.12.* si igitur Patres Iesuitæ sentiunt se habere conscientiam bonam, non debent curare quid dicat Aduersarius ad *Text.in cap.sensi & cap.inter verba 11.q.3.*

§.124. Quartum fundamentum aduersarij pro eliminanda exemptione Patrum, desumitur ex constitutionibus Synodalibus Poloniæ, vt ipse asserit num.89. quarum tenorem, & confirmationem successiuè ponit, & exindè contrà Patres inuehitur vsque ad totum numerum 129.

§.125. Prima Constitutio desumitur ex lib.4. fol.314. In qua excommunicationis pœna puniuntur quicunque Religiosi etiam priuilegiati, si defraudauerint soluere Decimas, quas de iure soluere tenentur ex quo subsumo, sed Patres Iesuitæ de iure non tenentur soluere Decimas illas à quibus per priuilegia Apostolica legitimè eximuntur, ergo ista Constitutio contra illos nihil operatur, & ex ista non tollitur exemptio; si Constitutio diceret, quod non obstante priuilegio tenentur soluere, vel licet à Decima de iure soluenda eximantur, nihilominùs soluant, teneret illatio ab Aduersario prætensa, sed dicit simpliciter, quod si defraudauerint in solutione de iure debita, excommunicentur; Iesuitæ non fraudant in solutione debiti, sed vtuntur priuilegijs proprijs, quibus à solutione eximuntur, ergo argumentum aduersarij nihil concludit.

§.126. Minùs officit secunda Constitutio num.90. quæ desumitur ex eodem lib.4. fol.334. & disponit contra Laicos, & Clericos decimas alterius rapientes, & vendentes, & nihil dicit de Regularibus, quia nullam ipsi habent super Decimis negociationem, vnde non est opus alia responsione.

§.127. Nec tertia Constitutio adducta num.91. & desumpta ex lib.5.cap.20.fol.361. militat contra Patres, quia disponit quòd Decimæ percipiantur per eos, ad quos pertinent, subsumo, sed decimæ de bonis à Collegio Cracouień possessis nō pertinent ad Parochum Golambiæ, quia per priuilegia Apostolica tollitur hęc pertinentia, ergo Constitutio non disponit quid contra exemptionem Patrum.

§. 128. Idem dicendum est ad Constitutionem quartam addu-ctam ab Aduersario num. 92. ex libro 3. Petricouieñ fol. 193. quia ibi statuitur ne fraudetur Parochus, aut alius Clericus in Prouentibus, decimis, missalibus, Maldratis, & alijs quibuscunque Iuribus, & obuentionibus eorum Ecclesiis solui consuetis, quinimmo iniungit Episcopis, subditos suos ad præfatam cogere solutionem. Hæc enim omnia semper intelliguntur salua sedis Apostolicæ auctoritate vt diximus supra §. 87. Intelligi etiam statuta Conciliorũ; cui authoritati synodus Prouincialis derogare non potest, & per consequens ex hoc statuto nihil deperit Patribus, qui auctoritate Apostolica sunt exempti, nec contra eos Episcopi procedere possunt, cùm eorum subditi non reperiantur, sed habeant amplissimas exemptiones à quacunque ordinariorum Iurisdictione.

§. 129. Ex his patet quod hoc fundamentum Aduersarij nullam prorsus habet substantiam. Vnde tota Machina super ipsum erecta, tamquam in arena fundata, corruit per se ipsam.

§. 130. Et ex his etiam patet quòd Confirmatio Gregorij XIII. die 8. Aprilis 1578. nihil officit Patribus, quia confirmatio nihil addit principali dispositioni, sed tanquam accessorium sequitur naturam ipsius Principalis, ad *Text. in c. inter dilectos §. cum igitur de fide Instrumentorum*, & clausulæ quæcunque etiam amplissimæ, semper restringuntur ad subiectam materiam, non dantur enim ad augendum, sed ad exequendum per *Textum expressum in Clement. 1. de Præbendis* vbi omnes consentiunt. Si igitur in citatis Constitutionibus nihil derogatur exemptioni Patrum, nec in eorum confirmatione, & hæc adeò clara sunt, vt non egeant vlteriori labore pro illis decrarandis, neque ego plùs insumam operæ.

§. 131. Prosequitur Aduersarius *num. 95. & 96.* adducendo vltimam synodum de Anno 1621. celebrata, in qua disponitur, quod fideles omnes decimas de iure Diuino, Deo & Eccclesijs pro congrua sustentatione ministrorum debitas soluant, & quoad Regulares statuitur, quòd teneantur intelligere se teneri soluere Decimas prædiales, quemadmodum sæculares eas soluere tenebantur, priusquam bona ad manus eorum peruenirent, alioquin ipsos Regulares nisi Conseruatores elegerint, coram locorum ordinarijs conueniri posse.

[1]32. Ex hoc statuto infert Aduersarius derogatũ esse exem-

ptioni Apostolicæ Regularium, sed toto Cælo aberrat, quia non statuitur, quòd soluant, seu teneantur soluere, sed quod tenentur intelligere se esse obligatos, quod si ipsi hoc non intelligant, non possunt cogi ex hoc ad solutionem earum, sed tantùm possunt conueniri coram eorum Conseruatore, & in defectu illius, coram ordinarijs; Hoc non negant Iesuitæ, quia licèt Parochi intelligant Iesuitas esse obligatos, ipsi tamen hoc non intelligunt, quia prætendunt se esse exemptos vigore suorum priuilegiorum, & ex hoc quid tribuitur Cõseruatori, aut ordinarijs? nihil aliud nisi facultas cognoscendi super hoc articulo, hoc est, An teneantur, nec ne.

§. 133. Hoc est certè mirabile, quod Aduersarius semper facit consequentias de suo capite, & ex consequentijs alias consequentias semper maiores, nec mirum quia dato vno absurdo, multa sequuntur, & abyssus semper abyssum inuocat. Argumentum Aduersarij est hoc. Patres Iesuitæ tenentur experiri iure, coram Conseruatoribus, vel Episcopis circa ipsorum exemptionem ex priuilegijs Apostolicis resultantem, si coram illis conueniantur ergo tenentur ad Decimas, ergo à Conseruatore, ac ordinarijs possunt cogi ad decimas, ergo eorum Priuilegia illis non suffragantur, ergo eorum Priuilegijs fuit derogatum, quid ineptius? Tenentur respondere si vocati fuerint coram Conseruatore, vel ordinarijs, sed Conseruator, & ordinarij debent legitimum construere Processum, & videre, an teneantur, nec ne? si Conseruator, aut ordinarius sententiabit Priuilegia illis suffragari, certò certius non possunt cogi, si autem Conseruator, vel ordinarius pronunciarent Priuilegia illis non suffragari, tunc ipsi habent remedia ordinaria, hoc est appellationem ad sedem Apostolicam, quia cùm eorum Priuilegia habeant executionem paratam, non possunt cogi nisi per tres conformes.

§. 134. Dicet Aduersarius ergo nihil tribuit ista Constitutio Clero, aut Ordinarijs. Respondetur tribuit multum, quia Primò, vt diximus, licet Patres habeant priuilegia clara, & per cõsequens non deberent cogi ad litigandum super illis, nihilominus litigare coguntur, Secundò licèt sint exempti à Iurisdictione Ordinariorũ, nihilominus coram illis, deficiente conseruatore, cõueniri possunt, Tertiò licèt ipse Ordinarius, non sit Iudex competens ad interpretandum priuilegia Apostolica, cùm hoc ad solam spectet Se

Apostolicam, quia eius est interpretari, cuius est condere leges; nihilominus eo casu competens declaratur, Quartò licet ordinarij sint partes.

§. 135. Et per consequens non possint iudicare in causa propria, nihilominus pro Iudicibus in prima instantia declarantur idonei,& propterea non est inutilis Clero hæc Constitutio, sed in præfatis multùm proficua, ac per consequens Regularibus multum præiudiciosa.

§. 136. Ex his apparet quod confirmatio Gregorij XV. facta de præfatis statutis, adducta ab Aduersario à num. 97. vsque ad totum numerum 101. non tollit priuilegia Patrum, nec eorum exemptioni derogat, licet sit cum clausulis amplissimis, quia nihil addit principali dispositioni, vt diximus supra §. 130. sed solùm cogit eos in terminis dictæ Constitutionis, hoc est, ad subijciendum se ordinarijs, deficiente Conseruatore, quatenùs Parochi vellent sua iura experiri contra Regulares.

§. 137. Et per consequens apparet quod ridicula est Consequentia Aduersarij *num.* 102. quòd ex his Confirmationibus Gregorij XIII. & XV. derogatum sit amplissimis priuilegijs Societatis super exemptione decimarum, & quòd ipsi per Censuras Apostolicas ab ordinarijs ad earum solutionem cogi possint, appellatione postposita inuocato &c. quia hæc omnia sunt chimeræ, & vanitates, possunt benè cogi ad litigandum si prouocati fuerint coram ordinario quando non adest Conseruator, & non possunt excusari, & allegare quodcunque Priuilegium ad non comparendum, quia omnibus Priuilegijs quoad hoc est amplissimè derogatum, & non possunt appellare, & ordinarij vt executores possunt illos censuris cogere nempè ad comparendum; sed non per hoc derogatum est Priuilegijs exemptionis, quia hoc est super quo conueniri possint, an in casibus ob quos conueniuntur Priuilegia illis suffragentur, & ordinarius potest seruatis seruandis ferre sententiam diffinitiuam etiam contra Regulares, quam si Iudices secundæ, & tertiæ Instantiæ confirmarent, tunc per ipsum Iudicem declarari potest non intrare Priuilegia, & tunc per talem Iudicem non vigore statutorũ Poloniæ, sed vigore trium conformium, vel rei iudicatæ, possunt cogi ad soluendum. Hic autem casus est impossibilis, quia licèt ordinarij declararent Priuilegia Patribus non suffragari, Rota ta-

men teneret contrarium, quod multis decisionibus hucusque firmauit.

§. 138. Est pariter vanum, & puerile id, quod asserit Aduersarius num. 102. & 104. nempe quod possint de se ordinarij Poloniæ facere executionem vigore præfatarum confirmationum, quia hoc non possunt, sed tantùm dantur Iudices in defectu Conseruatorum ad procedendum, seruatis seruandis, in prima Instantia.

§. 139. Est verò falsum, quod literis Apostolicis non teneantur obedire, sub prætextù, quòd subreptitiæ, vel obreptitiæ sint, quia vsquequo de obreptione, vel subreptione legitimè non constat, illis obedire tenentur, nunquam autem doctū fuit literas Apostolicas exemptionis Regularium, fuisse ab illis subreptitiè, vel obreptitiè extortas. Imò contrarium patet, quia à summis Pontificibus ob bonum publicum concessæ fuerunt, vt supra latè probauimus.

§. 140. Vnde rescriptum Alexandri III. ad Archiepiscopum Rauennatensem ex *c. si quando de rescriptis*, ad ductum ab Aduersario *num.* 105. est contra Aduersarium, quia Alexander non dicit quòd Archiepiscopus possit literis Apostolicis contrauenire, sed dictas literas Apostolicas ab eo reuerenter esse recipiendas, & si quid habet contra earum latorem, ad sedem Apostolicam referat. Cur igitur aduersarius literis Apostolicis reuerentiam non exhibet? cur eas vituperat? cur contemnit? cur non venerandas dicit? Quomodo contra illas ordinarios executores facit? Patres deducunt propria Priuilegia exemptionis; si aduersarius putat esse subreptitia, sedem Apostolicam consulat, non ea censuret, abigat, & contra ea cum tanta iniuria ordinarios, & Clerum seducat.

§. 141. A num. 106. vsque ad num. 129. Aduersarius diuersas impingit Patribus obiectiones contra statuta Poloniæ, quas ipsi Patres nunquam somniarunt, & exinde postea eas soluere se iactat. Dicit igitur 1. sub num. 106. Patres excusare se ab obseruatione statutorum, quia in illis non sit facta de verbo ad verbum suorum Priuilegiorum derogatio, licèt hoc Patres opponere possent, ex eo, quòd tanquam magis Priuilegiati non veniant in odiosis, nisi specialis de ipsis fiat mentio, nihilominus hoc nunquam opposuerunt, aut opponunt in isto casù, quia subijciunt, se præfatis statutis in eorum terminis, & dant manus, quòd in eisdem terminis ipsorū

Priuilegijs sit derogatum. Vnde frustrà super hoc Aduersarius laborat. Non tamen ex hoc sequitur, quòd derogatum sit exemptioni à solutione Decimarum, ad quam vigore Priuilegiorum non tenentur, sed sequitur tantùm, derogatum esse exemptioni à Iurisdictione ordinariorum, qui aliàs quando agitur de interpretatione literarum Apostolicarum, quarum cognito est propria sedis Apostolicæ, non poterant, & contra hanc subiectionem non allegant propria Priuilegia, nec illis iuuari nituntur, etiamsi eorum tenor non sit de verbo ad verbum positus, quia nolunt disputare, An in hoc casù derogatoria derogatorijs conquassentur, & An de de aliis potius, quàm de ipsis intelligantur.

§. 142. Et ex hoc superfluum est respondere Gambaro, & Sanctarello ab Aduersario allegatis à num. 108. vsque ad num. 112. quia vt diximus suprà, derogationes confirmationum Greg. XIII. & Greg. XV. non cadunt super Priuilegijs quoad exemptionem à decimis, de qua nullum statutum confirmatum loquitur, sed super derogatione ab exemptione Iurisdictionis ordinariorum, qua Patres exempti in casù ibi expresso conueniri possunt, vt diximus.

§. 143. Exemplum capituli in Germania adductum ab Aduersario num. 113. 114. & 115. non solùm non officit Patribus, sed imò retorquetur contrà ipsum Aduersarium, quia verissimum est, quòd expectatiua ad fauorem vnius particularis, non officit illi Capitulo, cui ob publicam vtilitatem concessa erant Priuilegia maiora, quia; vt suprà diximus, Priuilegia Patrum Societatis concernunt maius bonum, & mágis publicum, quàm Priuilegia aliquorum Parochorum Poloniæ, cùm illa concernant bonum suarum Ecclesiarum particularium, & ista concernant bonum Ecclesiæ Vniuersalis. & fidei Orthodoxæ *Defensionem*, & propagationem, vt supra diximus §. 12. & seq. vnde ex hac ratione derogatio potiùs intelligitur cadere super particularibus, vel saltem minùs vniuersalibus Priuilegijs Cleri, quàm super vniuersalissimis exemptionibus societatis.

§. 144. Numero 116. Dominus Aduersarius quærit, an exemptio à solutione Decimarum sit fauorabilis, An autem odiosa? & respondet cum Suarez, odiosam esse, quia derogat iuri communi, & affert secum præiudicium Tertij, Hoc nos absolutè non negamus, quia hac ratione omnia Priuilegia odiosa dicuntur generaliter loquendo, sed nihilominus dicimus, quòd nó est semper vera hæc Pro-

positio, quia etiam exemptio à solutione Decimarum potest dici fauorabilis, & potest ampliari contrà regulam communem, quod odia restringantur, habemus *Textum expressum in c. quia circà de Priuilegijs*, vbi Innocentius III. declarat exemptionem generalem à solutione Decimarum, posse ampliari etiam ad possessionem futuri temporis, quod est valde notabile, & de directo oppositum Cõclusioni Aduersarij *vbi gloss. verb. canonicas sanctiones*, declarat, quod tunc solùm est odiosa, cùm parit enorme detrimentum, tunc enim reuocari potest in terminis *c. Apostolica de Donat. & c. suggestũ de Decimis* Hæc autem enormitas nunquam probata fuit ab Aduersario, & per consequens exemptio societatis potest dici esse de fauorabilibus, attento præsertim, quòd concessa fuerit propter bonum publicum, & ad fauorem fidei, vt supra sæpè probauimus.

§. 145. Et ex his patet quòd authoritas Ciceronis adducta num. 117. nõ facit ad casum, quia per exemptionem Apostolicam Patres societatis non spoliant, non violant, non rapiunt id quod alienum est, sed retinent id quod sibi ab habente potestatem conceditur, vt latè supra ad initium respondendo ad Gallicana statuta, probauimus. Vnde ex hoc non potest inferri, quòd ob hanc exemptionem, ius naturæ, & conuictus humanus lædatur.

§. 146. Statuta synodalia Poloniæ laudat Aduersarius num. 118. auctoritate Pauli V. Pontificis maximi, quę, & nos laudamus, quia omni veneratione sunt digna, & illis nihil continetur contrà Romanum Pontificem, aut illius potestatem, nihil iniuriarum in proximos maximè Religiosos, sed non possumus laudare eorum interpretem, dum toto Cælo extrà eorum mentem vagatur, dum detrahit Pontificiæ auctoritati, dum lædit personas, dum non loquitur ad propositum, nec secundùm veram rationem, sed illud totum eructat, quod priuata Passio poponit.

§. 147. Per irrisionem Aduersarius num. 119. introducit vnũ Reuerendum Patrem, manu dextera, propria Priuilegia, & manu sinistra, synodales Constitutiones tenentem, & quærit quid horum alteri præualeat, & videtur respondere præualere synodi Constitutiones, quia sunt leges generales ac per consequens Priuilegia Patrum, vti falsis precibus impetrata nullius esse momenti, ad quod adducit Pelagium in *c. dicenti 25. q. 2.* sed ex ipso Pelagio patet differentia, quia supponit duo rescripta vnum Canonicum, & aliud

falsis precibus extortum, & nulli dubium est, quòd Canonicum praefertur illi, quod falsis precibus fuit extortum, At in casu nostro duo sunt rescripta Canonica, nempè Confirmatio Apostolica statutorum Poloniæ, & priuilegium Apostolicum exemptionis Patrum: Vnde non potest applicari responsio Pelagij. Et sic dicimus in eorum terminis, vtrumque posse sustineri, quod si Aduersarius dissimilitudinem ducat ex eo, quòd statuta Synodi sunt magis vniuersalia, vel magis iuri communi conformia; nos vice versa possumus respondere, ratione finis, magis vniuersalia esse priuilegia Patrum, quia habent finem magis vniuersalem, hoc est bonum publicum, & propagationem Fidei Catholicæ, & ex hoc fine etiam licet videantur à iure communi exorbitare, nihilominus sunt magis conformia rationi ipsius iuris, quæ semper stat pro bono maiori, & scimus quod in legibus, ac statutis magis attenditur ratio, quàm verba, cùm ratio sit anima legis, & sine ratione, lex non possit consistere *cap. consuetudo dist.* 1.

§. 148. Nec decreta Theodosij, & Vespasiani adducta per *Gregor. in cap. Imperiali, & cap.* Re*scripta* 25. *quæst.* 2. & ab Aduersario num. 120. & 121. quicquam contra exemptionem Apostolicam concludunt, quia verissimum est, quòd ea quæ fiunt contra leges, ab his, qui legibus subditi sunt, inutilia dicuntur, & pro infectis habentur, secùs est, si fiant à Principe, qui legibus non ligatur, quia sicut potest condere leges ad fauorem publicæ, vel particularis vtilitatis, ita eas mutare, ac illis derogare potest, propter maiorem vtilitatem publicam, vt factum est per Summos Pontifices in exemptione Regularium, ex superius dictis.

§. 149. Et per consequens insulsa est conclusio Aduersarij numer. 122. quod per adductas rationes, & statuta sit derogatum exemptioni Patrum, quia vt vidimus nunquam illis derogatum fuit, nec statutum Gembicianum hoc facit, quia in eo nulla talis derogatio reperitur, sed solùm conceditur Clericis posse experiri eorum iura contra Regulares coram eorùm Conseruatoribus, & in eorum defectu, coram Ordinarijs, vt latè declarauimus supra §. 131. & seqq.

§. 150. Arguit Aduersarius num. 125. auctoritate Sacrę Congregationis Concilij, quæ declarauit Bona decimarum solutioni

obnoxia, ad Regulares transire cum onere suo, quod nos non negamus, si intelligatur de iure communi circumscripta exemptione Apostolica, quia Papa potest hoc onus auferre, vt probauimus supra §. 59. Vnde hoc verissimum est, si Regulares non sint exempti auctoritate Apostolica, quia tunc Sacra Congregatio non derogat litteris Apostolicis, sed negocium remittit ad Summum Pontificem, vt vidimus factum in hac causa Parochi Golambiæ, quia nihil decreuit inconsulto Summo Pontifice, immò per modum Concordiæ negotium disposuit, ab ipso Summo Pontifice posteà per suas litteras definitum, & vlterius excedente limites executionis Illustrissimo D. Nuntio Sanctissimus D. N. semel, & iterum causam Sacræ Rotæ cognoscendam commisit: Immò cum per nouas diligentias partis, à Signatura ad Congregationem denuò fuisset remissa, ipsa Sacra Congregatio ad eandem Rotam finaliter remisit.

§. 151. Præuidit Aduersarius solutionem, sed eam confutare nititur §. 124. & 125. dicens Iesuitas respondere, se in decreto non esse comprehensos argumento æqualitatis, supponens omnes Religiosos esse æquales, & sub nomine Regularium omnes comprehendi; ad quod replicamus. Religiosos habere suos gradus, & non esse veram hanc propositionem, quòd omnes sint æquales, vt vidimus supra §. 68. ex Diuo Thoma, non tamen ex hac inęqualitate sequitur, quod Iesuitæ non sint comprehensi in decreto Sacræ Congregationis, sed hoc colligitur, ex eo, quòd ipsi specialia habent priuilegia, quibus sine speciali derogatione non præiudicatur maximè in odiosis, vt firmauit idem Aduersarius num. 59. dum verba haberet de speciali iure Poloniæ ad Decimas exigendas, cui asserit non fuisse derogatum per derogationem iuris communis. Vnde Patres non prætendunt se esse Episcopos, nec dicunt se esse cæteris Regularibus præstantiores; sed dicunt habere priuilegia specialia Sedis Apostolicæ, quibus inconsulto Summo Pontifice, Sac. Congregatio derogare non solet.

§. 152. Aduersarius num. 126. ponit vltimum argumentum contra exemptionem Regularium, dicens, Iesuitæ non fuerunt nominati *in c. Nuper de Decimis*, & nihilominus ipsi fatentur in illo se comprehensos esse, Ideò enim Pater Mercurianus specialem illius derogationem poposcit, & facillimè pro priuato commodo legi

publi-

publicæ derogari obtinuit, ergo à ſimili, licèt in decreto Congregationis præfato non ſint nominati, nihilominùs in illo propriè præſumuntur comprehenſi.

§. 153. Reſpondetur *in cap. Nuper*, Patres Societatis nominati non fuerunt, quia illud fuit promulgatum in Concilio Lateranenſi ſub Innocentio Tertio per plura ſæcula antequam Ieſuitæ fundarentur, cui ſpecialiter, & expreſsè Gregorius XIII. derogauit, ad tollendum omnes dubitationes, quæ circà eorum exemptionem occurrere poſſent, & ne vnquam ex illius omiſſione, præfatæ exemptione à Paulo Tertio, & Pio Quarto ſibi conceſſa fraudarentur; ex hoc tamen non elicitur argumentum contra Patres occaſione declarationis Sacræ Congregationis, quæ emanauit poſt priuilegia eorumdem Patrum, ſed imò elicitur argumentum è directo oppoſitum, nempè, ſicuti tempore Gregorij XIII. dubitatum fuit, An per priuilegia Apoſtolica Societatis Iesv, quæ habent ampliſſimas clauſulas, fuerit derogatum Conſtitutioni Concilij, quæ de iure ſpecialem requirit derogationem, ergo per declarationem Congregationis Concilij, quæ nullam habet cōfirmationem Apoſtolicam, nec derogationem, fortiùs dubitare contingit, An per illam derogetur priuilegijs ampliſſimis iam conceſſis, cum clauſulis derogatorijs, ac decreto irritante? & propterea ex hoc decreto nō concluditur, quòd Patres ipſo iure, & ipſo facto cogi poſſint ad Decimas, & ſi aliter Aduerſarij prætendunt, ad eandem Sacram Congregationem pro declaratione ſpeciali recurſum habere poſſunt, vel coram Iudice competente ſuum ius poſſunt experiri.

§. 154. Et hoc faciliùs is intelligit, qui ſtylum Sacræ Congregationis nouerit, nempè quod Sacra Congregatio reſpondet particularibus caſibus, ex quibus non intendit concluſiones firmare vniuerſales, quia in vno caſu particulari diuerſæ reperiuntur circumſtantiæ, quæ non reperiuntur in alio, quibus non attentis, declarationes Sacræ Congregationis ſæpè apparent contrariæ, cùm ſuper eadem materia vno die attentis aliquibus circumſtantijs poſſit declarare affirmatiuè, & alio die attentis alijs circumſtantijs poſſit declarare negatiuè, & cum in decretis non exprimantur huiuſmodi circumſtantiæ, declarationes, de per ſe præcisè ad diuerſa non applicantur, & hæc eſt cauſa quare collectanea harum declarationum non habent auctoritatem, imò ſine licentia Congrega-

tionis Sanctissimæ Inquisitionis, vel Iudicis, promiscuè legi non possunt.

§. 155. Ad id quod num. 127. deducit de differentia motus proprij, & rescripti ad preces, satis supra §. 120. respondimus: Bullam Gregorij XIII. non fuisse faciliter, & sine consideratione concessam: Vnde non solùm non fuit circumuentus à precibus, sed ex rationabilibus causis ex officio suæ solicitudinis inductus.

§. 156. Auctoritas Gregorij adducta num. 128. non facit contra nos, sed imò pro nobis, quia fatetur Romanum Pontificem in tanta varietate Constitutionum, & priuilegiorum, non solùm posse, sed aliquando necessariam esse aliquam moderationem, nempè vel resecando inutilia, vel concedendo magis proficua.

§. 157. Ex his Aduersarius num. 129. Colligit vnum valdè notandum, nempè quod Gregorius XIII. de anno 1578. de mense Ianuarij, Iesuitis exemptionem concessit, & eam deinde eodem anno, de mense Aprilis, quoad Polonos, reuocauit, approbando eorum statuta, quod quàm vanum sit, diximus suprà, cùm ponderauimus statuta à Gregorio XIII. approbata in quibus, nec vnus apex reperitur, quod sapiat de reuocatione exemptionis. Vnde frustra est hic ea repetere quæ diximus num. 124. & seqq.

§. 158. Quintum, & vltimum fundamentum desumitur ab Aduersario num. 130. & sequentibus à litteris Leonis XI. quia moderatus fuit priuilegia Patrum, quoad Ecclesias Regnorum Legionis, & Castellæ, sed est adeò floccidum, vt nulla egeat responsione, sed sola lectione Breuis, à se ipso corruit. Breue enim, vt diximus, & vt ex eius lectione apparet, pro solis Ecclesijs Legionis, & Castellę fuit expeditum: An autem Clerus Poloniæ intra fines Legionis, & Castellæ contineatur, dicant ipsi Poloni.

§. 159. Et nihilominus Leo Vndecimus non abrogauit priuilegia Patrum, sed ea moderatus fuit, vnde non applicatur prætensa Prophetia Gregorij de Regno diuiso, de qua Aduersarius n. 130. qui nihilominus num. 131. fatetur Leonem exemptionem tantùm modificasse, & cum exceptione, si Patres de iure, vel consuetudine exempti reperirentur, si igitur exemptio est modificata, si exemptio de iure, vel consuetudine est præseruata, quomodo ab Aduersario dicitur destructa.

§. 160. Excusandus est Aduersarius, quia non vidit huius merita

rita causæ, nec plures Sacræ Rotæ decisiones, quæ super intelligentia Breuis Leonis pro Societate contra diuersa Capitula Legionis, & Castellæ emanarunt, & propterea R. P. D. Cerrum, qui in decisione Cracouień has Leonis litteras prætermisit, nimis properè, inimico animo notat, & è conuerso singulare Beneficium ab Vrbano Octauo ex confirmatione litterarum Leonis, inanitèr iactat.

§. 161. Hæc sunt iura, & rationes quibus concludit Aduersarius num. 134. omnibus priuilegijs, & exemptionibus sufficienter clausam esse ianuam, & nihilominus demóstrauimus exemptionem in omnibus præfatis iuribus, & rationibus sufficientissimè semper fuisse præseruatam, & nihil penitus, quod illi præiudicet, fuisse deductum, aut probatum.

§. 162. Supra num. 53. conclusit, & hæc hactenus in genere, hic denuò repetit, & hæc in genere ad publicam Cleri nostri vtilitatem; si tanta dixit, & replicauit in genere, quid putamus dicendum restat in specie. Restat respondere ad decisionem R. P. D. Cerri in causa Cracouien Decimarum contra Parochum Golambiæ die 21. Maij, & die 4. Iulij 1640. vnde ponit tenorem primæ decisionis à num. 135. vsque ad num. 148. secundæ autem num. 149. 150. & 151. quibus addit tenorem ipsius sententiæ num. 152. 153. & 154.

§. 163. Igitur num. 155. & sequentibus vsque ad 159. facit prologomena, & præparationem pro responsione, adducens illud vt ipse inquit dicterium, si malo clauseris ostium intrabit per fenestras. A dicterio Aduersarius incipit respondere, & sanè, vt nos dicimus, fassus est sine corda; dicteria enim sunt dicta falsa, & acuta, iuxta illud Martialis: Dicteria dicit in omnes. Sic exponit Calepinus hoc verbo: An autem auctoritati Sacræ Rotæ conueniat responderi sibi, ab homine de finibus Europæ, dicterijs, dicant alij.

§. 164. Vt igitur fundatissimæ decisioni R. P. D. Cerri respondeat, impingit ipsi fundamentum fragile, quo sublato, decisionem corruere dicit. Hoc nempè, quòd tota decisio fundata est in concordia, inter ipsos Patres, & Parochos, & quod ius Patrum à concordia præfata sumpsit exordium; Vnde reprehendit Rotam, quod non attenderit ius Parochi ante concordiam, innixus verbis ipsius decisionis, adductis ab ipso num. 143. vbi asseritur, quod per hanc concordiam ius conceditur Plebano decimandi, & Collegium pri-

uatur

uatur exemptione sibi competente, quod facere non potuit sine debitis solemnitatibus, cùm hæc sit species alienationis. Vnde exclamat contra ingeniosam subtilitatem Rotæ, quæ aduertens exemptioni Patrum clausam fuisse ianuam, ad fenestram concordię deuenit, & hæc sunt tanquam procemium ad suam responsionem à num. 155. vsque ad num. 159.

§. 165. Verùm qui legit decisionem Certi, statim ineptam subtilitatem Aduersarij condemnabit, quin immò totum oppositum in ipsa decisione adinueniet; eius enim principalis intentio in exemptione Patrum est fundata, cui nec ianua, nec fenestra vnquã fuit obstructa, sed semper à Sacra Rota fuit canonizata, super qua canonizatione adducitur Rota, tàm antiqua, quàm moderna, nempè coram Seraphino in simili causa Cracouieñ, coram Ghislerio in vna Ciuitatis Castelli, & coram Coccino, Carrillo, & Merlino, in Cordubeñ Decimarum de Lucena, vt patet ex ipsa decisione data ab Aduersario num. 138.

§. 166. Ecce fundamentum Rotæ, ecce origo litis ante concordiam, quo stabilito sequitur posteà pernecessè nullitas concordiæ, quia huic fundamento non poterat Rector sine solemnitatibus renunciare, vnde concordia nullius roboris esse pronunciatur, cùm isti exemptioni Rector renunciauerit sine auctoritate Reuerendissimi Patris Generalis, & sine beneplacito Apostolico, vt sequitur decisio num. 139. & sequentibus, quòd autem solemnitates huiusmodi in hac concordia requirerentur ad abundantiorem cautelam, probat Rota, ex eo quia Rector per illam concedit Plebano ius decimandi contra præfatam exemptionem, quod sapit alienationem, & hunc articulum accessorium reputat Aduersarius, quod sit fundamentum totius decisionis, quod quàm sit à veritate alienum, nemo est qui negare possit, si decisionem legerit.

§. 167. Cùm autem procemio, ac præfationi tota dispositio cohæreat, destructo procemio Aduersarij, tota illius responsio corruit; supponit enim num. 161. & 162. Parochum habuisse ius liquidum contra Patres ad Decimam, & exemptionem Patrum fuisse sublatam, quod quantum sit à veritate alienum, ex supra dictis, & ex ipsa Certi decisione apparet. Si enim liquidum, & indubitatum ius habuit, cur eædem Decimæ in libro Cathedrali Cracouiensi Beneficiorum dicto, ad Episcopum Cracouiensem ex agris Cmetonalibus.

bus, ex Prædialibus autem ad nullum pertinere asseruntur? Et in illarum possessione fuisse Episcopum multis annis, constat ex certis, & euidentibus documentis, in harum verò præter hæredes Nobiles, alios fuisse nemo probabit. Cur in earundem Decimarum possessione, antecessores eius Plebani Golanibienses ante annum 1621. nunquam fuerunt? Cur idem Plebanus cùm iure petitorio contra antecedaneos Patrum Societatis, ratione earundem Decimarum ageret, ex quo nullum ius ad prætensas Decimas produxit, in Tribunali Lublinensi iudicio vltimæ instantiæ, aliquot decreta libertatis à causa ex controuersijs partium, à citatis contra se obtineri passus est? Cur in anno Domini 1631. die 29. Iulij ab Andrea Lipscio Episcopo pro tunc Cracouiense, inhibitionis litteræ, de non extradendis vllis Decimis eidem Plebano, contra Patres Collegij Cracouiensis extraditæ sunt? cur non priùs illud ius palam factum est, quàm post resignatam Parochiam Drazgouiensem, idem Plebanus Golambień factus, coloratum titulum iuris ad easdem Decimas, hæredibus bonorum eorundem execrantibus litigia obtrudere cæpisset? cur denique in anno Domini 1639. easdem Decimas tanquam ad mensam Episcopalem pertinentes, nouo priuilegio sibi ab Episcopo donari petijt, & donatas obtinuit, in repetendis tamen ijsdem iure, à Patribus exemptionem coram eodem Episcopo allegantibus, effectus non est subsecutus? sed his immorari nolo, palam enim ista fient.

§. 168. Numero 160. Agnoscit decisionem R.P.D. Cerri, legitimam, & iustam, si, inquit, concordia cum Patribus inita origo iuris decimandi fuisset. Quod si originem fuisse probauero, dabitnè manus Aduersarius? Dicit ille Plebanum vigore iuris cuiusdam anterioris litem Patribus Societatis intentatam ad excommunicationem in foro Ecclesiastico, & in Tribunalitio ad bannimenta deduxisse, quod vtrumque non probatur, & probari non potest. Neque enim vllum aliud ius anterius ad Decimas manipulares producet Plebanus, præter concordiam initam, neque vllam excommunicationem eorundem ob non extraditas euincet. Quin immo intentatam Stanislao Mencinski Fratri, Patris Alberti in foro sæculari litem, contraueniendo suo contractui ratione pensionis certæ pecuniarum pro Decima inter se, & eundem Stanislaum, atque P. Albertum pro tunc sæcularem, in anno Domini 1621. facto, & actis

tribunalitijs roborato, qui ad vitæ vtriusque partis tempora, inuiolatus permanere debuit, cùm post decessum Stanislai, & mutatum statũ Patris Alberti pro tunc Religiosi Societatis, stante partis vtriusque vita., contra quatuor inhibitiones, duas ab Episcopo Cracouiensi suo loci ordinario, tertiam à Commissarijs eiusdem, & quartam à Nuncio Sedis Apostolicæ, ratione earundem Decimarum extraditas, in foro exotico, coram Iudice sæculari primum ipsemet, deinde per subordinatam personam cessionarium illum, ad eludendum comminatas censuras substitutum, nulliter prosequutus fuisset, atque processum per eundem, ad bannimentum absentis P. Alberti pro tunc in Indias iter aggredientis, iniustè, & inualidè non seruatis iuris gradibus, vt patet ex eiusdem bannimenti cassatione, deducere ausus esset, conscius non iuris proprij, cùm excommunicationem contra se breui declarandam præsensisset, & eundem cessionarium suum prosequentem litem, simili excommunicationis censura innodasset, illa sua concordia cum Patribus licèt inualide inita, commodè tamen sibi, & cessionario consuluit.

§. 169. Et per hoc etiam excluditur assertio Aduersarij n. 163. Quod ius Patrum non sit certum. Primum quia in litem deductum, idem enim contra ius Plebani valeret, & quidem à fortiori ob concurrentiam aliorum ad easdem Decimas ius prætendentium: Deinde quia instantiæ Plebani in foro competenti non potuit resistere, Et nihilominus certum est, actionem illam inter sæcularem personam; possessorem pro tunc bonorum Zirzin, in foro sæculari exortam contra Patres Societatis, nouos iuris quæsitores, & bonorum apprehensores, in eodem foro tanquam competenti, continuari non potuisse, neque vnquam continuatam esse. Quam consequẽter verò per excommunicationem, quam nullam vnquam fuisse ostensum est, & per bannimentum super P. Alberto, à suo cessionario persona sæculari, ratione florenorum 1300. quasi non persolutorum obtentum, Patrum ius mortificatum, & annihilatum deducatur, quis non videt? Ius Patrum fundatur in suis priuilegijs, cuius cognitio nunquam antehac facta fuit in eadem causa. Constat autem cuiuis, quia nec Iudex laicus, nec Ecclesiasticus, Papa inferior, potest annihilare litteras Apostolicas.

§. 170. Exinde Aduersarius num. 165. & 166. nititur probare concordiam Rectoris cum Plebano Golambiæ subsistere, non ob-

stanti-

ſtantibus priuilegijs. adducens *Adrianum in cap. ex multiplici de Decimis*, ſed legentibus diſpoſitionem Adriani, clarè patet caſum eſſe diuerſum, quia ibi Abbas de conſenſu Conuentus per ſcripturam authenticam conuentionem fecit, quod poterat, ſed in noſtro caſu Rector cum Plebano ſine conſenſu Generalis concordauit, quod non poterat, vt in deciſione apparet Item ibi Abbas, & Cõuentus faciunt conuẽtionem ante Priuilegium Apoſtolicum, quod cùm non adeſſet, nullum concordiæ poterat præſtare impedimentum, in caſu autem noſtro Rector contra formam Priuilegiorum Apoſtolicorum iam conceſſorum, quibus renunciare non poterat, cùm eſſent conceſſa ad fauorem ordinis, concordiam fecit, & ideo ſine Beneplacito Apoſtolico inutiliter contraxit, vt in eadem deciſione firmatur. Item Abbas, & Conuentus poſt conuentionem, à Sede Apoſtolica Priuilegium contrarium, nulla de concordia facta mentione, & ſic ſubreptitiè, obtinuerunt, quia huiuſmodi concordias Sedes Apoſtolica ex poſt facto, præſeruare ſolet, & vidimus in hac cauſa in litteris Sanctiſſ. D. N. qui concedens Aduerſarijs Decimas, eo modo, quo ſoluebant Laici, antequam bona ad manus Regularium peruenirent, apponit clauſulam, ſaluis concordijs, quod ſi de concordia mentionem Priuilegium feciſſet, illi derogatum præſumeretur, vt apparet ex eodem cap. ibi niſi de ipſa contineatur. Aliud eſt igitur impetrare priuilegium ad eludendas cõcordias factas, vt fecerunt Abbas, & Conuentus præfati, & aliud, cõcordare in præiudicium Priuilegiorum Apoſtolicorum iam toti ordini ob bonum publicum conceſſorum, qui eſt caſus noſter, & per conſequens vana eſt illatio facta num. 167. quod per hanc conuentionem ſit amiſſum priuilegium ex pactione partium, quia & alij ibi citati intelligunt de conuentione inter legitimas partes canonicè celebrata, qualis non eſt noſtra ex fundamentis à deciſione ſupra allegatis.

§. 171. Præuidit Aduerſarius num. 168. hanc noſtram reſpõſionem, & replicat ex Suarez num. 169. & 170. Huiuſmodi conuentionem vti iuri communi conſonam poſſe etiam fieri ſine confirmatione Papæ, nempè in terminis *cap. dilecti, & cap. ſuggeſtum* in quibus ius ipſum concordiam conſuluit.

§ 172. Sed verba Suarez hoc non concludunt, quia licet dicat per concordiam aliquam poſſe derogari priuilegijs, non dicit

amen posse qualitercūque, sed in terminis *cap. dilecti, & cap. sug-gestum*, in quibus semper præsumitur enorme præiudicium, vt pa-et ex ipsis capitibus ab Aduersario adductis num.73. & 74. quod amen enorme præiudicium nunquam ab Aduersario in casu no-ro fuit probatum; & nihilominus etiam in his casibus necessariū ſt quod contrahentes sint partes legitimæ, & licèt opinatiuè dicat, uòd non videtur necessaria confirmatio Papæ, vel alterius Præ-ati, subiungit tamen, quòd necessaria est authoritas Superioris or-inarij, & quod seruetur debitus modus, & solemnitates in talibus equisitæ, quæ in casu nostro non concurrunt ex prædictis.

§.173. Et idem dicendum est de Filiuccio allegato num.177. uia ipse pariter concedit per conuentionem subsequentem posse mitti priuilegium, si tamen conuentio sit legitima; & hæc nun-uàm legitima erit, si partes contrahentes non habeant facultatem ontrahendi, prout eam Patres Societatis non habent, cùm tota acultas in Patre Generali contineatur, vt bene decisio firmauit; ec potest esse legitima, nisi legitimæ intercesserint solemnitates, rout in conuentione cum Parocho Golambię non interuenerunt, t eadem decisio pariter firmauit, & propterea vana est iactatio duersarij num.175. quod ex Suarez, & Filiuccio tollantur fun-amenta decisionis, quia nec in Suarez, nec in Filiuccio reperitur, oncordiam, à parte non habente facultatem concordandi, factam enere, & vterque firmat concordiam debito modo, & cum debi-s solemnitatibus esse celebrandam, ac in specie auctoritatem Su-eriotis ordinarij debere interuenire, qui in Societate est Præposi-is Generalis, vt diximus.

§.174. Num.176. Aduersarius dicit non respondere ad au-oritates, quia inquit non faciunt ad casum, cùm supponant ius lebani à concordia Originari, sed hoc figmentum iam fuit subla-um ex oculari inspectione decisionis num.137. vbi ponitur quod Domini negatiuè responderunt, quæsito, quia Domus, & Colle-ia Societatis in vim Indultorum Apostolicorum exempta sunt, & nmunia à quacunque Decimarum solutione, non dicit quia con-ordia non potuit ius Parocho tribuere, sed hoc postea ex necessa-ia consequentia deducitur, quia cùm sint immunes, nec ante, nec ost concordiam, tenentur ad dictam solutionem, & cùm illorum xemptioni renunciare non possint sine auctoritate Patris Genera-

lis, & alijs solemnitatibus, per Concordiam ius Plebano non po-
tuerunt acquirere, & sic omnes auctoritates adductæ procedunt
optimè in casu decisionis, sed Aduersarius fingit casum diuersum,
ideò illius imaginationi applicari non possunt.

§.175. Omittit Aduersarius decisionem Seraphini, quæ ema-
nauit in terminis Poloniæ, & Ghislerij, quæ emanauit contra Pa-
rochos, & respondet decisionibus Coccini, quæ emanarunt con-
tra Laicum, & nihilominus, sint contra Laicum, sint contra Cleri-
cum, sint contra Polonum, sint contra Hispanum, nihil refert ad
propositum, quia inducuntur à Rota ad probandum Priuilegia
Apostolica exemptionis Patrum esse à Rota canonizata non solùm
contra illos, qui habent assistentiam iuris communis, sed etiam il-
los, qui habent assistentiam iuris specialis, quod idem est, quod
specialissimi, vt supra §.108. diximus, vnde etiamsi ius Parochi
Golambiæ, esset archispecialissimum, nihilominus illi per priuile-
gia Apostolica est derogatum, cùm per illa derogetur qualicunque,
& cuicunque iuri, vt ex Carillo suprà firmauimus.

§.176. Prouerbijs, & Parabolis argumentatur Aduersarius
num. 178. dicens occultata verba decisionis Carilli, quibus respõ-
det, quod Breue Leonis XI. non suffragatur Duci de Cardona vt
Laico, cùm factum sit ad fauorem Cleri. Diximus supra §.158. &
sequent. Breue Leonis emanasse pro Ecclesijs Legionis, & Castel-
læ, nunquam docuit Aduersarius Clerum Poloniæ in his finibus
contineri, ac per consequens mitigationem Leonis illi compete-
re. Vnde non est opus Parabola super distantia loci, quia Sedes
Apostolica æquè longinquos, ac proximos potest soluere, & liga-
re, eximere, & obligare.

§.177. Credo quod Aduersarius in scribendo hanc defensam
Sacros Canones volueret, & quicquid reperiebat, quod sibi ad
propositum facere videretur, hoc suis scriptis admiscebat, & faci-
le sibi Sacros Canones ad propositum facere videbatur, ex intensa
imaginatione, quia aliàs non adduxisset Canones tam confusè, &
sine vllo delectu num.179. & 180. adducit Alexandrum III. *in
cap. de Transactionibus*, qui dicit transactiones inter Laicos, & Ec-
clesiasticam personam celebratas, ratas esse, si Episcopi, vel Ar-
chiepiscopi accedat authoritas ex quo deducit à fortiori, concor-
diam cum Parocho Golambiæ ob auctoritatem Nuncij Apostolici

H 2 in-

interpositam, firmitatem habere, & proinde à Rota non potuisse rescindi.

§.178. Respondetur casum Alexandri non facere ad propositum, sed immò contra Aduersarium retorqueri, quia si Ecclesiasticus sine auctoritate sui Episcopi, vel Archiepiscopi qui est ordinarius, non potest componere cum Laico, minùs poterit Regularis sine auctoritate sui Præpositi. Sed dicit Aduersarius, hæc concordia non est cum laicis, sed cum Collegio, vt glossa figurat in casu. Respondetur, glossa non bene figurat casum, quia Alexander dicit inter vos, & aliquam personam Ecclesiasticam, non dicit inter vos, & aliam personam quod obseruauit Hostiensis hoc loco adductus, in additione glossæ finalis, sed esto quod Alexander scriberet Collegio, potuit esse Collegium sæculare; & esto quod esset Collegium Ecclesiasticum, aut etiam Regulare, non erat priuilegiatum: & exemptum per priuilegia Apostolica, & non erat tale Collegium, quod non posset componere sine licentia sui Generalis, vt sunt Collegia Societatis, vnde hæc allegatio non facit ad propositum.

§.179. An Nuncius Apostolicus possit præbere assensum alienationis rerum Ecclesiasticarum, habemus expresse *in Extrauag. Ambitiosæ de reb. Eccles. non alien.* vbi omnem alienationem prohibet Inconsulto Romano Pontifice, ac per consequens cùm hoc sit specialiter Sedi Apostolicæ reseruatum, profectò excedit potestatem Nuncij Apostolici, etiam cum facultate Legati de Latere, vt bene decisio Rotæ firmauit, ac per consequens nulla fuit Nuncius affectus iniuria; nec Redona, aut Abbas num. 181. allegati contrarium docent, quia si quid concludunt, loquuntur in terminis valdè diuersis, nempè quando in alienatione non requiritur renuntiatio priuilegijs Apostolicis, & quando alienator aliàs legitimè contrahere potest, quæ in casu nostro non verificantur ex dictis.

§.180. A num. 182. vsque ad num. 196. vindicat Aduersarius Nuncium Apostolicum ab iniuria illi (vt inquit) à Rota irrogata, dum ait Nuncij assertionem super vtilitate Collegij esse erroneam, cum nullibi iustificetur, immò è contrario appareat conditionem Collegij fuisse effectam peiorem, vnde ipse nititur probare vtilitatem Collegij, Primo propter absolutionem ab excommunicatione,

quæ

quæ nunquam monstratur, & à Bannimentis super qua re tàm in constanter, & sibi contrariè scribit, vt ei nulla fides adhiberi possit & dictum proprium suis dictis refellat.

S. 181. Et nihilominus scimus quòd solùm P. Albertus Mencinski fuerit bannitus ad instantiam cessionarij, quod fatetur ipse Aduersarius num. 186. vbi tamen confundit bannimentum cum excommunicatione, quæ non contra Patrem Męcinski, sed contra Plebani cessionarium ad instantiam Patrum Societatis, ratione euocationis ad forum in competens, & temerè attentatorum, contra Bullam Cœnæ Domini, fulminata, iure meritò metuebatur cuius relaxationem Patres suis sumptibus procurare promiserant: vt clarissimè verba transactionis sonant. Et tam crassum errorem adeo sæpè repetitum in pluribus paragraphis, quod non aduerterit propugnator Plebani, satis mirari non possum.

S. 182. Sed quid quæso vtilitatis perceperunt Patres, ex illa clausula, quod Parochus promiserit suis sumptibus cùm suo cessionario componere, ratione summæ 1300. florenorum (quæ fuit imaginaria, & ad eludendum inhibitiones à loci ordinario, & Nuncio Sedis Apostolicæ contra Plebanum de non attentandis in foro sæculari expeditas, conficta;) & bannitionem ob eandem summam quasi non persolutam, super P. Męcinski iniustè, & inualidè obtentam, relaxandam & cassandam suis impensis procurare, pro cuius cassatione juxta præscriptum legis Patriæ intra præfinitum tempus, in foro competenti iam agebatur ratione malè obtenti, & quæ ex ijsdem rationibus, etiam non reposita à quopiam illa summa, sublata & annihilata est, quid in quam commodi, quid iuris Patribus accessit; qui ad solutionem illius summæ non tenebantur?

S. 183. O prudens credulitas? in contractu sole ipso clariùs apparet occasio soluendorum 1300. florenorum, videlicet, vt Patres Societatis excommunicationis, & quarũuis censurarũ Ecclesiasticarũ, si quæ contra Plebani cessionariũ in aliquo foro Ecclesiastico fulminatæ fuissent, relaxationẽ sine vlla cõtradictione suis sũptibus procurarent; Plebanus verò vt suis itidem sũmptibus bannimenti super P. Męcinski ob non persolutos 1300. florenos, à suo cessionario obtenti, summa eadem suo cessionario per se, loco Patris Męcinski, reposita, cassationem obtineret. Hac nos veritate relicta, ad credulitatem Aduersarij declinabimus? Istane sunt

damenta vtilitatis, & necessitatis ab Aduersario adducta, ex quibus argumentis iactat se fundamenta tollere decisionis, erroneam assertionem iustificare, & Nuncium interuenientem vindicare? Fatetur quidem Aduersarius num. 195. Ius lignandi cum videatur esse noua concessio (supponit autem, id ipsum quod est in rei veritate, alio iure quàm contractus Plebano incisionem syluæ non deberi) rectè processuras in eodem puncto rationes Decisionis Rotæ, nisi, inquit illæ solemnitates adhibitæ in eodem contractu, eandem roborassent. Nouit Aduersarius desolationem syluarum etiam in Synodalibus constitutionibus Archidiœcesanis Regni Poloniæ, inter species alienationis comprehendi; sed quæ solemnitates ad alienationes à Regularibus legitimè faciendas requirantur, nosse, & intelligere noluit, licet ipsemet, rescissæ & annihilatæ transactionis causam ex defectu contrahentis Rectoris, à Rota Romana in dicta die 4. Iunij anno Domini 1640. lato allegatam, in suo scripto num. 151. inseruisset.

§. 184. Ex his patet non applicari in casu nostro doctrinam aliàs communem, & receptam, quòd contractus ab initio sit liberæ voluntatis, sed ex post factum, fieri necessitatis; quia intelligitur de contractu legitimo, inter legitimas personas, ob legitimam causam, & cum euidenti vtilitate, vel necessitate, celebrato, non de contractu inter partes contrahere non valentes, & cum assertione erronea vtilitatis, immò cum euidenti deterioratione.

§. 185. His confusè de propria credulitate circà vtilitatem ab Aduersario dictis à num. 197. incipit examinare illam conditionem in concordia appositam, citrà tamen præiudicium quorumcunque iurium vtriusque partis, & successorum, ex qua Rota firmat concordiam esse personalem, & non ligare Rectores, contrahentis successores, ex Oldrano, Seraphino, & alijs §. finali ipsius decisionis allegatis, dicit autem primo, Quod hæc clausula nullum ius de nouo concedit, sed tantùm præseruat antiquum, & subiungit nu. 198. quod hæc clausula habet locum casu, quo concordia non obseruaretur; tali enim casu partes redeunt ad primæua iura, vnde infert Aduersarius quod ex hac non obseruantia, Plebanus ad excommunicationem, & bannimentum contra Patres redire posset, immò num. 199. dicit ipso facto Patres in excommunicationem reincidisse, ob non obseruatam concordiam.

§. 186.

§.186. Ergo Plebanus potest redire ad excommunicationem. Quam nam illam? nescitur. Sed licet aliqua fuisset, posse Patres reincidere negaremus. Quis enim dixerit Patres inobseruantes, & non potiùs Plebanum, qui promissos 1300. florenos, nunquam cessionario soluit; Et bannimenti super P. Męcinski obtenti relaxationem intra decursum anni suis sumptibus non procurauit; (Et hoc est vnum de fundamentis decisionis §. Præterea visum fuit &c.) qui abutendo concessa sibi à Patribus gratuita facultate euehendi singulis septimanis tres currus ex syluis Collegij, cum scitu custodis syluæ, eodem non requisito, sed fuga saluti suæ consulere iusso, tumultuariè cum 40. interdum quinquaginta curribus, cum incolis, & subditis Villæ Golambiæ, & eidem adiacentium, armatis, vi & violenter easdem syluas aggredi, & vastare sæpiùs, vt constat ex protestationibus, ausus est; per quam desolationem syluarum ingens Collegio damnum illatum est. Rectiùs longè concluderet. Ergo ob inobseruantiam Plebani, & abusum facultatis sibi gratuitò concessæ, atque detrimentum Collegij graue inde subsecutum, & contractus alienationem inuoluens rescindi, & Plebanus eadem facultate priuari debuit. Ergo Patres redierunt ad primæua iura non soluendi decimas, quia ex priuilegijs eas soluere non tenentur.

§.187. Quod Ordinarij Poloniæ possint exequi talem excommunicationem, & cætera ab Aduersario num. 200. adducta, quia falsæ, & erroneæ suppositioni innituntur, non indigent refutatione. Sed etiamsi verum supponerent, falsum est tamen assertum Quia licet ex constitutione Gembiciana auctoritate Apostolica cófirmata, habeant primam instantiam in his causis, ea tamen adimpleta, & ad Sacram Rotam deuoluta, & causa ibidem per sententiam diffinitiuam, rem iudicatam, & executoriales iam conclusa non potest ampliùs Ordinarius ponere manum, quòd tam clarum est, vt nulla egeat probatione.

§.188. Tandem Aduersarius num. 201. dicit non videri sibi rectè iudicatum à Rota, concordiam Golambień fuisse personalem ex parte Rectoris, quia ea fuit confirmata per Prouincialem & Nuncium Apostolicum, quòd cum dicat gratis, & sine vlla probatione, gratis etiam posset negari, & nihilominus dicimus concordiam esse personalem per illam clausulam citrà præiudicium

successorum, & benè Rota ex allegatis probauit, & diximus supra §.185. nec obstat quæuis approbatio etiamsi esset Sedis Apostolicę, quia Confirmatio non ampliat principalem dispositionem, vt supra diximus §.130.

§. 189. Expeditus Aduersarius à decisionibus Rotæ nititur impugnare etiam sententiam Rotalem, quæ in vim earum ab eodem R. P. D. Cerro, seruatis seruandis fuit pronunciata. Dicit igitur num. 202. Grauari à sententia ex quo pronunciantur Patres Immunes, & exempti, non solùm à solutione decimarum prædialium, sed etiam à Colonicis, & num. 203. supposito etiam quod Patres à Prædialibus vigore Priuilegiorum exempti essent, non ideò tamen sequi quòd à Colonicis eximantur. Vnde format quæsitum, An Coloni Patrum Societatis à solutione Decimarũ sint exempti, ita vt eorum Decima Patribus accrescere possit.

§. 190. Diximus supra §. 59. exemptionem esse duplicem, alteram personalem, & alteram realem. Personalis est, qua solę personæ priuilegiantur, & eximuntur; Realis autem, qua non solùm personæ, sed etiam bona, & res eodem Priuilegio, & exemptione donantur. Diximus etiam per exemptiouem realem etiam Colonos à solutione liberari, & eorum ratam accrescere Dominis ex *gloss. in Clem. 1. de Decimis verbo excolantur*, ibi. Porrò si Priuilegia eximunt Terras ipsorum ab hoc onere, Coloni colentes illas, priuilegia participãt, si verò eximunt personas, tunc licet illi de sua parte non soluant, Coloni non exempti de sua soluent.

§. 191. Subsumo, sed Priuilegia Patrum Societatis nõ solum sunt personalia, sed etiam realia, ergo sequitur quòd etiam eorum Coloni eximantur. Quòd Priuilegia huiusmodi sint realia, patet ex eorum tenore adducto ab Aduersario supra num. 24. ex Paulo III. ibi à solutione quarumcumque decimarum Prædialium ex Pio IIII. num. 25. ibi vniuersam Societatem IESV omnia, & singula illius Domus Probationis, & Collegia vbilibet existentia præsentia, & futura, eorumque personas, fructus, redditus, ac prouentus eorum bonorum Ecclesiasticorum sæcularium, & Regularium quorumcunque illis pro tempore vnitorum aliasque res, & bona quæcunque, quid clarius?

§. 192. Licèt igitur Aduersarius negatiuè respondeat ad quæstionem, eò quia, inquit ipse, non dantur exemptiones reales, sed tantum

tantùm personales nihilominus nos ex fundamento contrario re-
spondemus affirmatiuè, quia benè datur exemptio realis, ex præfa-
tis, & per necessariam consequentiam eximuntur Coloni, etiam
non nominentur, vt ex gloss. citata apparet, & secundùm hanc di-
stinctionem intelliguntur decisiones ab ipso allegatæ num. 204. &
Filiucius, ac Suarez allegatus num. 205. & 206. nec non c. quæst.
16. q. 1. *allegatur etiam à gloss. præfata* in terminis exemptionis per-
sonalis.

§. 193. Et nihilominus cùm viderit Aduersarius Suarez hanc
veritatem declarare loco ab ipso adducto num. 207. tamen ad effu-
giendum scrupulum nititur interpretari Suarez, dicens num. 208.
& 209. Doctrinam Suarez intelligi de Colonis partiarijs, qui par-
tem fructuum pro cultura accipiunt, vel Pensionarijs, qui pro inte-
gris fructibus certam pensionem soluunt, quia si isti ad solutionem
Decimarum tenerentur, maiorem partem fructuum à Patribus
vellent, vel minorem pensionem illis soluerent, ac ex consequenti
exemptioni Patrum saltèm indirectè præiudicarent, & hoc fortè
desumpsit ex gloss. in præcitata Clem. quæ has duas species ex-
pressè à solutione decimarum excipit. Cæterùm subiungit hoc
non habere locum in Polonia, vbi Coloni, nec partiarij, nec pen-
sionarij existunt, sed diuersæ conditionis, Cmetones nuncupan-
tur.

§. 194. A num. igitur 210. vsque ad num. 220 nititur Aduer-
sarius probare Colonos in Polonia esse Tertij cuiusdam generis,
quia habent seorsiua bona à Dominis illis concessa, & sic prædia
Dominorum exercent, & colunt absque eo quod vllam partem
fructuum recipiant, vel aliquam pensionem soluant, & propterea
cùm nullum illorum exemptioni præiudicium generetur, Colonos
ipsos ad solutionem decimarum obligatos esse concludit.

§. 195. Et nihilominus hæc Distinctio non euacuat difficulta-
tem, nec tollit obiectum. Non euacuat difficultatem, quia Suarez,
& glossa allegati eatenus dicunt Colonos eximi, quatenùs si non
eximerentur, exemptioni Patrum præiudicaretur, & potiùs Patres,
quàm Coloni, saltem indirectè, dicerentur soluere, quia soluenti-
bus Colonis plus fructuum darent illis, vel minùs pensionis reci-
perent ab eis, hæc eadem ratio militat in Cmetonibus, quia cùm
Patres concedant Cmetonibus bona seorsiua, ad effectum, vt

excolant, & laborent in agris ipsis Dominis reseruatis, si Coloni tenerētur de illis bonis seorsiuis dare decimas, vel plura bona seorsiua vellent, vel minorem pro Dominis facerent: non est enim æquum, quòd eundem laborem pro bonis liberis impendant, ac pro grauatis, & propterea, vel Patres remanebunt à cultura defraudati, vel plura bona seorsiua Colonis concedere debebunt, quòd indirectè eorum exemptionem lædet, quia idem est soluere decimas, & bona æquiualentia Colonis dare. Vnde patet quod hæc distinctio non euacuat difficultatem.

§. 196. Sed nec tollit obiectum quia nos dicimus omnia bona Societatis esse exēpta Quęro igitur bona illa quæ seorsiuè Colonis dantur, ad effectum vt cætera bona colant, sunt ne Societatis an non? si sunt Societatis, ergo exempta; si non sunt Societatis, sed propria Colonorum, non est casus noster, sed supponitur, quòd sint Societatis, & solùm precariò, & ad effectum culturæ Colonis concessa, ergo sequitur quòd sint exempta, & sic quòd Coloni ratione illorum bonorum non teneantur ad decimas: An autem teneantur ratione Baptismatis, vel missæ, vel administrationis aliorum Sacramentorum, & sacramentalium, non facit ad præsentem casum, quia huiusmodi decimæ sunt personales, & propriæ ipsorum Colonorum. Vndè circà hoc nihil disputamus. Optarem tamen Aduersarium legisse sententiam in Consistorio Lublinensi Anno Domini 1634. latā inter Pleban. eundem Golambiensem Actorem, & Præpositum in Konskauola, atque Baranouiensem, ratione Administrationis Sacramentorum errabundis illis ouibus de bonis Patrum, & Pagis controuersis, ex quibus Plebanus præsumit decimam, per citatos denegatæ. Vnde suo principali mercenarij, & non Pastoris titulum, facilè vel inuitus attribueret.

§. 197. Ex his patet quod si Rota à parte aduersa pluries citata, & diù expectata fuisset informata, non fecisset diuersam decisionem ab illa, quam fecit, quia informantes nihil aliud potuissent deducere, quàm ea, quæ aduersarius libello pleno deducit, non per hoc Sacra Rota, & R.P.D. Cerrus reprehendendi sunt, aut tanquam criminis vel excessus alicuius conscijs ignoscendum illis est, quia æqua lance pro præsentibus, & absentibus iustitiam faciunt; derat in Curia legitimus Procurator, qui poterat allegare Statuta Prouincialia, & quoduis aliud ius prætensum, quia Rota respō-
disset

dixisset præfata in hoc casu non suffragari, nec priuilegijs Apostolicis præiudicare, vt hucusque probauimus, & hæc sufficiant ad lamentationes Aduersarij à num.221. ad num.224.

§. 198. Circa remedia, quæ Aduersarius implorat, primum quod continetur num.225. est omninò ab omni ratione remotum, cùm cuncta iura clament Sedem Apostolicam,& Ecclesiam Romanam caput esse, & magistram omnium Ecclesiarum, & ad illam semper ab vniuerso Mundo grauatos, pro leuamine habuisse recursum. Vnde nulla ratio suadet, quod hac priuetur præeminentia, & causas Ecclesiasticas absque appellatione in Poloniã decidendas remittat; nec hoc Ecclesias Poloniæ prætẽdere credam, quia fuerunt semper Ecclesiæ Romanæ obsequentissimæ,& contrarium potiùs ad schisma declinat, quia paulatim omnis dependentia, & obedientia erga Sedem Apostolicam serpere posset.

§. 199. Circa Auditorem Rotæ, de quo Aduersarius nu.226. & 227. dicimus, quod est negocium politicum à Serenissimo cum Sanctissimo concertandum, non à Causidico in libello dicterijs pleno contra Ecclesiasticos, & contra ipsos Summos Pontifices, ac ipsius Rotæ Auditores euulgandum.

§. 200. Et si passim Aduersarius in toto libello dicteria tulit, in fine illius quæcunque occurrunt aperto ore eructat, vnde à num. 228. vsque ad finem, non sine animi offensione, & stomacho legi potest, ex Seneca de Beneficijs adducit exemplum Macedonis, qui naufragus ab hospite receptus, loco gratiarum, illius bona à Philippo sub specie propriæ remunerationis impetrauit, sed cognita ingratitudine, bona hospiti per Philippum restituta fuere, applicans Patribus, qui vti naufragi ex Hispania a Polonis recepti, eorum bona a Summo Pontifice extorserunt. Vnde similiter ad eorum restitutionem condemnari deberent.

§. 201. Hìc non est opus responsione, quia non solùm Patres habent testimonium conscientiã propriam contra detractores, vt diximus supra §. 123. sed etiam ex fructibus eorum cognoscuntur, ex operibus charitatis in proximum, ex laudibus eorum in fundationibus, & in priuilegijs Apostolicis, quæ cùm sint notoria, & tot Episcoporum, & Pontificum monumentis celebrata, vanum est à dicterijs vnius Aduersarij vindicare. Vnde hæc sufficiant pro responsione à num.228. vsque ad num.285.

§. 202. A numero autem 235. vſque ad numerum 247. Aliud dicterium ſubiungit de venditione à Patribus facta quorundam colonorum ſtudio auaritiæ, vt plus haberent ex venditione libertatis Chriſtianorum retracta, quàm ex opera, & cenſu ab ipſis colonis debito, ſuper qua re exclamat, exagerat, Deos,& homines inuocat, tanquam ſi cum effectu huiuſmodi facinus Patres perpetraſſent, & nihilominus concludit contractum non habuiſſe effectũ, immò ad menſam Illuſtriſſimi D. Epiſcopi Poſnanień Rectori Societatis cum alio Profeſſore Theologo hoc non placuiſſe,& ſubiunxiſſe, quòd ſi hunc tractatum illorũ Procurator feciſſet, non fuiſſet validus ſine conſenſu Superiorum. Vt quid ergo tot exclamationes? ſi etiam hic Procurator auaritia ductus hoc facere procuraſſet vt quid totam Religionem ſuper hoc infamare? Quid culpæ habent Rector, & alij Patres, quid habent alij Superiores, quid habet tota Religio? Nos ſcimus quod Deus in Angelis ſuis reperit prauitatem, inter Apoſtolos erat Iudas, inter Diaconos Nicolaus, & ſic de ſingulis, quid mirum ſi etiam in Societate per totum Orbem diffuſa, aliqui minùs compoſiti, aut etiam auari, & quiduis reperiantur. nùm ideò redarguenda eſt tota Societas, eò vel maximè, quod negotium adeo exageratum non habuit effectum.

§. 203. Sed inquit, ipſe hoc euulgare ne de cætero Patres in ſimilia proſiliant. O Prudentia hominis, nonne ſufficiebat admonere Generalem; nonne fatetur Aduerſarius num. 238. Præpoſitum Generalem ſacro decreto iura,& priuilegia Eccleſiæ Poſnanień ſalua voluiſſe? Nonne ad ſolam inſtantiam Aduerſarij Generalis huiuſmodi decretum expediuit? fatetur hoc ipſe num. 211. Cur igitur poſtmodum Aduerſarius inuectiuas facit, cur verbo, & ſcriptis in Societatem inuehitur, cur ſicut à Generali primum obtinuerat decretum ita pro ſecundo non inſtat? ſed de his ſatis: Aduerſarius eſt prudens, & propriæ conſcientiæ conſulere poteſt, qui diffamationem intendebat.

§. 204. In num.247. reuertitur Aduerſarius ad deciſionem, quam dicit nimis præiudicialem,ex eo, quia à Decimis abſoluit colonos, ſed iam ſatis ſupra reſponſum fuit, ſperat tamen num. 248. Rotam mutare ſententiam, quod non negamus aliquando facere, & à deciſis recedere, & ſententias reuocare, ſed ex cauſa, & rationibus nouiter deductis, ſi Aduerſarius confidit habere bonam cau-

ſam

ſam, ob bona iura, cur non venit ad Rotam? cur non petit reſti-tutionem? non eſt litigandum iniurijs, & libellis pro libitu euulga-tis, ſed iuribus, & legibus coram Iudice competente productis.

§. 205. In numero finali facit minas contra Rotam de reuocanda illius deciſione per conuitia generalia exemplo cauſæ Cracouien̄ cum Academia, ſed à minis, ac violentijs, non poſſunt aduocati defendere, & propterea ſatis erit iuribus prætenſis reſpondiſſe, eò, vel maximè, quod ad maiora vocamur. Vnde hic erit finis Reſponſionis ad primum ſcriptum Aduerſarij, cuius perſonam maximè veneramur, licèt doctrinæ aſſentiri non poſſumus, ad ſecundum ſcriptum iam reſpondimus? ad tertium intelligimus alios nos labore leuaſſe. Vnde agimus Deo gratias, cui, & Sanctæ Romanę Eccleſiæ, & cuicumque meliùs intelligenti, nos, & hæc ſcripta, ac omnia noſtra ſubmittimus.

Ioannes Naldus.



R. P. D.

VEROSPIO

Cracouien. Decimarum.

Lunæ 31. Ianuarij 1650.

POst latam in hoc Tribunali ſententiam in iudicatum tranſa-ctam, qua præuijs duabus deciſionibus coram R. P. D. meo Cerro, videlicet Maij, & 4. Iulij anni 1640. Collegium Cracouien. ac PP. Societatis Ieſu ibi degentes à quacumque decimarum ſolutione ex Apoſtolicis priuilegijs declarantur immunes; fuerat poſtmodum ab vniuerſo Poloniæ Clero iudicium inſtitutum in Sacra Congregatione Eminentiſſimorum Cardinalium Concil. Trident. Interpretum, contra eoſdem PP. cæteroſque Regulares ſuper decimis ex bonis proprijs ab ipſis quoque præſtandis: In quo ſanè iudicio productis ex parte Patrum priuilegijs ſuper decimarum exceptione ab Apoſtolica Sede receptis, ijſque maturè diſcuſſis, de eorundem conſenſu tandem ſacra Congregatio decreuit anno 1645. in hæc verba, videlicet,

Sacra Congregatio Iterum, atque iterum auditis Regularibus, eorum iuribus, ac priuilegijs maturè diſcuſſis, cenſuit ab eiſdem Patribus, & aliis Regularibus ſoluendas eſſe Parochis, & aliis Beneficiatis Regni Poloniæ decimas, quæ ſoluebantur à laicis, priuſquam bona in ipſorum Patrum, ac Regularium proprietatem fuerant translata firmis tamen remanentibus tranſactionibus deſuper factis. Cùm verò huius virtute decreti Executor Apoſtolicus PP. Societatis condemnaſſet ad decimas tum in futurum, tum pro ante acto decreti tempore, Golambiæ Parocho præſtandas ex bonis intra ipſius Parochiæ limites conſtitutis; Delata poſtmodum mihi cauſa appellationis ab executoris exceſſu, ſuper eo dubium hodie propoſui affirmatiuè reſolutum.

2 Ille ſiquidem præcipuè deducitur ex mandato pro decimis præteritis relaxato, quæ tum inſpecta ipſius decreti natura, tum verborum

borum qualitate, ad futurum tempus restricta, ibidem dici non poterant comprehensæ *iuxt. text. in cap. cognoscentes vbi gloss. in verbo futuris, & in cap. vltim. de constit. vbi gloss. pariter in verbo, futuras. Bart. in l. verbum oportebit num. 1. & ibi quoque Rebuff. in verbo futurum vero, ff. de verb. signific. idem Bart. in l. cent. num. 25. ibique Iason. num. 43. ff. de vulgar.* Menoch. *cons.* 110. *num.* 13. *cum seqq. & cons.* 711. *num.* 4. *Natt. cons.* 107. *num.* 7. & 8. Adeoque decimæ ante emanatum decretum decursæ in relaxatione mandati includi non poterant ab executore, qui proinde decreti verba minus rectè interpretando, legatum exequendi modum excessisse censetur per *text. in l. ab executore, ff. de appellat. vbi post gloss. in verbo non iure notat Bart. num. 7. gloss. in cap. quoad consultationem in verbo excedatur circa finem de sententia, & re iudicat. Petrus Rebuff. in tract. de sententiis executoris art. 7. gloss. 14. num. 8.*

Non obstat, quod anteacti temporis decimæ in casu proposito iusta ratione videantur inclusæ, vel quia præfatum Sacræ Congregationis decretum vim declarationis obtineat, quæ ad præteritum quoque tempus referri solet, vt notant *DD. in cap. vltim. de constit. vbi inter cæteros Felin. num. 4. Dec. num. 13. Menoch. cons.* 792. *num.* 8. Vel quia illæ fuerant à Parocho antecedenter petitæ tanquam sors, ac independentes à iure decimandi, & consequenter non solùm in futurum, sed etiam ab initio ante institutum super ipsis iudicium debebantur, vt respondit *Rota in Toletana decimarum 21. Iulii 1649. coram R.P.D. meo Celso, & in alia Hispalen. decimarum 10. Decembris eiusdem anni coram R. P. D. meo Bichio.*

Quia præterquam præfatum Sacræ Congregationis decretum per viam nouæ dispositionis potius videtur emanasse ad coarctanda Apostolica priuilegia, verbis expressis bona Patrum eximentia à quacumque decimarum solutione (ne Parochis onerosa nimium successu temporum redderentur, iuxta cap. suggestum de decimis) licet vim quoque declarationis obtineret, decimarum tamen præteritarum ibidem inclusio impeditur, ex sententia Rotali exemptionum priuilegia canonizante, contra ipsummet Parochum, qui pro prætensis decimis iudicialiter eos in partibus conuenerat: Ex ea enim sententia in iudicatum deinde transacta, in bona vtique fide constituti Patres Societatis, conueniri non

pote-

interpositam, firmitatem habere, & proinde à Rota non potuisse rescindi.

§.178. Respondetur casum Alexandri non facere ad propositum, sed immò contra Aduersarium retorqueri, quia si Ecclesiasticus sine auctoritate sui Episcopi, vel Archiepiscopi qui est ordinarius, non potest componere cum Laico, minùs poterit Regularis sine auctoritate sui Præpositi. Sed dicit Aduersarius, hæc concordia non est cum laicis, sed cum Collegio, vt glossa figurat in casu. Respondetur, glossa non bene figurat casum, quia Alexander dicit inter vos, & aliquam personam Ecclesiasticam, non dicit inter vos, & aliam personam quod obseruauit Hostiensis hoc loco adductus, in additione glossæ finalis, sed esto quod Alexander scriberet Collegio, potuit esse Collegium sæculare; & esto quod esset Collegium Ecclesiasticum, aut etiam Regulare, non erat priuilegiatum: & exemptum per priuilegia Apostolica, & non erat tale Collegium, quod non posset componere sine licentia sui Generalis, vt sunt Collegia Societatis, vnde hæc allegatio non facit ad propositum.

§.179. An Nuncius Apostolicus possit præbere assensum alienationis rerum Ecclesiasticarum, habemus expresè *in Extrauag. Ambitiosæ de reb. Eccles. non alien.* vbi omnem alienationem prohibet Inconsulto Romano Pontifice, ac per consequens cùm hoc sit specialiter Sedi Apostolicæ reseruatum, profectò excedit potestatem Nuncij Apostolici, etiam cum facultate Legati de Latere, vt bene decisio Rotæ firmauit, ac per consequens nulla fuit. Nuncius affectus iniuria; nec Redona, aut Abbas num. 181. allegati contrarium docent, quia si quid concludunt, loquuntur in terminis valdè diuersis, nempè quando in alienatione non requiritur renũciatio priuilegijs Apostolicis, & quando alienator aliàs legitimè contrahere potest, quæ in casu nostro non verificantur ex dictis.

§.180. A num. 182. vsque ad num. 196. vindicat Aduersarius Nuncium Apostolicum ab iniuria illi (vt inquit) à Rota irrogata, dum ait Nuncij assertionem super vtilitate Collegij esse erroneam, cum nullibi iustificetur, immò è contrario appareat conditionem Collegij fuisse effectam peiorem, vnde ipse nititur probare vtilitatem Collegij, Primo propter absolutionem ab excommunicatione,

quæ

quæ nunquam monstratur, & à Bannimentis super qua re tàm inconstanter, & sibi contrariè scribit, vt ei nulla fides adhiberi possit, & dictum proprium suis dictis refellat.

§.181. Et nihilominus scimus quòd solùm P. Albertus Mencinski fuerit bannitus ad instantiam cessionarij, quod fatetur ipse Aduersarius num. 186. vbi tamen confundit bannimentum cum excommunicatione, quæ non contra Patrem Męcinski, sed contra Plebani cessionarium ad instantiam Patrum Societatis, ratione euocationis ad forum in competens, & temerè attentatorum, contra Bullam Cœnæ Domini, fulminata, iure meritò metuebatur cuius relaxationem Patres suis sumptibus procurare promiserant: vt clarissimè verba transactionis sonant. Et tam crassum errorem adeo sæpè repetitum in pluribus paragraphis, quod non aduerterit propugnator Plebani, satis mirari non possum.

§.182. Sed quid, quæso vtilitatis perceperunt Patres, ex illa clausula, quod Parochus promiserit suis sumptibus cùm suo cessionario componere, ratione summæ 1300. florenorum (quæ fuit imaginaria, & ad eludendum inhibitiones à loci ordinario, & Nuncio Sedis Apostolicæ contra Plebanum de non attentandis in foro sæculari expeditas, conficta,) & bannitionem ob eandem summam quasi non persolutam, super P. Męcinski iniustè, & inualidè obtentam, relaxandam & cassandam suis impensis procurare, pro cuius cassatione iuxta præscriptum legis Patriæ intra præfinitum tempus, in foro competenti iam agebatur ratione malè obtenti, & quæ ex ijsdem rationibus, etiam non reposita à quopiam illa summa, sublata & annihilata est, quid in quam commodi, quid iuris Patribus accessit; qui ad solutionem illius summæ non tenebantur?

§.183. O prudens credulitas? in contractu sole ipso clariùs apparet occasio soluendorum 1300. florenorum, videlicet, vt Patres Societatis excommunicationis, & quarũuis censurarũ Ecclesiasticarũ, si quæ contra Plebani cessionariũ in aliquo foro Ecclesiastico fulminatæ fuissent, relaxationẽ sine vlla cõtradictione suis sũptibus procurarent; Plebanus verò vt suis itidem sumptibus bannimenti super P. Męcinski ob non persolutos 1300. florenos, à suo cessionario obtenti, summa eadem suo cessionario per se, loco Patris Męcinski, reposita, cassationem obtineret. Hac nos veritate relicta, ad credulitatem Aduersarij declinabimus? Istane sunt sum-

damenta vtilitatis, & necessitatis ab Aduersario adducta, ex quibus argumentis iactat se fundamenta tollere decisionis, erroneam assertionem iustificare, & Nuncium interuenientem vindicare? Fatetur quidem Aduersarius num. 195. Ius lignandi cum videatur esse noua concessio (supponit autem, id ipsum quod est in rei veritate, alio iure quàm contractus Plebano incisionem syluæ non deberi) rectè processuras in eodem puncto rationes Decisionis Rotæ, nisi, inquit illæ solemnitates adhibitæ in eodem contractu, eandem roborassent. Nouit Aduersarius desolationem syluarum etiam in Synodalibus constitutionibus Archidiœcesanis Regni Poloniæ, inter species alienationis comprehendi; sed quæ solemnitates ad alienationes à Regularibus legitimè faciendas requirantur, nosse, & intelligere noluit, licet ipsemet, resciss& & annihilatæ transactionis causam ex defectu contrahentis Rectoris, à Rota Romana in dicta die 4. Iunij anno Domini 1640. lato allegatam, in suo scripto num. 151. inseruisset.

§. 184. Ex his patet non applicari in casu nostro doctrinam aliàs communem, & receptam, quòd contractus ab initio sit liberæ voluntatis, sed ex post factum, fieri necessitatis, quia intelligitur de contractu legitimo, inter legitimas personas, ob legitimam causam, & cum euidenti vtilitate, vel necessitate, celebrato, non de contractu inter partes contrahere non valentes, & cum assertione erronea vtilitatis, immò cum euidenti deterioratione.

§. 185. His confusè de propria credulitate circà vtilitatem ab Aduersario dictis à num. 197. incipit examinare illam conditionem in concordia appositam, citrà tamen præiudicium quorumcunque iurium vtriusque partis, & successorum, ex qua Rota firmat concordiam esse personalem, & non ligare Rectores, contrahentis successores, ex Oldrano, Seraphino, & alijs §. finali ipsius decisionis allegatis, dicit autem primo, Quòd hæc clausula nullum ius de nouo concedit, sed tantùm præseruat antiquum, & subiungit nu. 198. quod hæc clausula habet locum casu, quo concordia non obseruaretur; tali enim casu partes redeunt ad primæua iura, vnde infert Aduersarius quod ex hac non obseruantia, Plebanus ad excommunicationem, & bannimentum contra Patres redire posset, immò num. 199. dicit ipso facto Patres in excommunicationem reincidisse, ob non obseruatam concordiam.

§. 186.

§.186. Ergo Plebanus poteſt redire ad excommunicationem. Quam nam illam ? neſcitur. Sed licet aliqua fuiſſet, poſſe Patres reincidere negaremus. Quis enim dixerit Patres inobſeruantes, & non potiùs Plebanum, qui promiſſos 1300. florenos, nunquam ceſſionario ſoluit; Et bannimenti ſuper P. Męcinski obtenti relaxationem intra decurſum anni ſuis ſumptibus non procurauit; (Et hoc eſt vnum de fundamentis deciſionis §. Præterea viſum fuit &c.) qui abutendo conceſſa ſibi à Patribus gratuita facultate euehendi ſingulis ſeptimanis tres currus ex ſyluis Collegij, cum ſcitu cuſtodis ſyluæ, eodem non requiſito, ſed fuga ſaluti ſuæ conſulere iuſſo, tumultuariè cum 40. interdum quinquaginta curribus, cum incolis, & ſubditis Villæ Golambiæ, & eidem adiacentium, armatis, vi & violenter eaſdem ſyluas aggredi, & vaſtare ſæpiùs, vt conſtat ex proteſtationibus, auſus eſt; per quam deſolationem ſyluarum ingens Collegio damnum illatum eſt. Rectiùs longè concluderet. Ergo ob inobſeruantiam Plebani, & abuſum facultatis ſibi gratuitò conceſſæ, atque detrimentum Collegij graue inde ſubſecutum, & contractus alienationem inuoluens reſcindi, & Plebanus eadem facultate priuari debuit. Ergo Patres redierunt ad primæua iura non ſoluendi decimas, quia ex priuilegijs eas ſoluere non tenentur.

§.187. Quod Ordinarij Poloniæ poſſint exequi talem excommunicationem, & cætera ab Aduerſario num. 200. adducta, quia falſæ, & erroneæ ſuppoſitioni innituntur, non indigent refutatione. Sed etiamſi verum ſupponerent, falſum eſt tamen aſſertum. Quia licet ex conſtitutione Gembiciana auctoritate Apoſtolica cõfirmata, habeant primam inſtantiam in his cauſis, ea tamen adimpleta, & ad Sacram Rotam deuoluta, & cauſa ibidem per ſententiam diffinitiuam, rem iudicatam, & executoriales iam concluſa, non poteſt ampliùs Ordinarius ponere manum, quòd tam clarum eſt, vt nulla egeat probatione.

§.188. Tandem Aduerſarius num. 201. dicit non videri ſibi rectè iudicatum à Rota, concordiam Golambień fuiſſe perſonalem ex parte Rectoris, quia ea fuit confirmata per Prouincialem, & Nuncium Apoſtolicum, quòd cum dicat gratis, & ſine vlla probatione, gratis etiam poſſet negari, & nihilominus dicimus concordiam eſſe perſonalem per illam clauſulam citrà præiudicium

successorum, & benè Rota ex allegatis probauit, & diximus supra §.185. nec obstat quæuis approbatio etiamsi esset Sedis Apostolicę, quia Confirmatio non ampliat principalem dispositionem, vt supra diximus §.130.

§. 189. Expeditus Aduersarius à decisionibus Rotæ nititur impugnare etiam sententiam Rotalem, quæ in vim earum ab eodem R. P. D. Cerro, seruatis seruandis fuit pronunciata. Dicit igitur num. 202. Grauari à sententia ex quo pronunciantur Patres Immunes, & exempti, non solùm à solutione decimarum prædialium, sed etiam à Colonicis, & num. 203. supposito etiam quod Patres à Prædialibus vigore Priuilegiorum exempti essent, non ideò tamen sequi quòd à Colonicis eximantur. Vnde format quæsitum, An Coloni Patrum Societatis à solutione Decimarū sint exempti, ita vt eorum Decima Patribus accrescere possit.

§. 190. Diximus supra §. 59. exemptionem esse duplicem, alteram personalem, & alteram realem. Personalis est, qua solę personæ priuilegiantur, & eximuntur; Realis autem, qua non solùm personæ, sed etiam bona, & res eodem Priuilegio, & exemptione donantur. Diximus etiam per exemptionem realem etiam Colonos à solutione liberari, & eorum ratam accrescere Dominis ex *gloss. in Clem. 1. de Decimis verbo excolantur*, ibi. Porrò si Priuilegia eximunt Terras ipsorum ab hoc onere, Coloni colentes illas, priuilegia participāt, si verò eximunt personas, tunc licet illi de sua parte non soluant, Coloni non exempti de sua soluent.

§. 191. Subsumo, sed Priuilegia Patrum Societatis nō solum sunt personalia, sed etiam realia, ergo sequitur quòd etiam eorum Coloni eximantur. Quòd Priuilegia huiusmodi sint realia, patet ex eorum tenore adducto ab Aduersario supra num. 24. ex Paulo III. ibi à solutione quarumcumque decimarum Prædialium ex Pio IIII. num. 25. ibi vniuersam Societatem IESV omnia, & singula illius Domus Probationis, & Collegia vbilibet existentia præsentia, & futura, eorumque personas, fructus, redditus, ac prouentus eorum bonorum Ecclesiasticorum sæcularium, & Regularium quorumcunque illis pro tempore vnitorum aliasque res, & bona quæcunque, quid clarius?

§. 192. Licèt igitur Aduersarius negatiuè respondeat ad quæstionem, eò quia, inquit ipse, non dantur exemptiones reales, sed

tantùm personales nihilominus non ex fundamento contrario Respondemus affirmatiuè, quia benè datur exemptio realis, ex præfatis, & per necessariam consequentiam eximuntur Coloni, etiamsi non nominentur, vt ex gloss. citata apparet, & secundùm hanc distinctionem intelliguntur decisiones ab ipso allegatæ num. 204. & Filiucius, ac Suarez allegatus num. 205. & 206. nec non *c. quæsti 16. q. 1. allegatur etiam à gloss. præfata* in terminis exemptionis personalis.

§. 193. Et nihilominus cùm viderit Aduersarius Suarez hanc veritatem declarare loco ab ipso adducto num. 207. tamen ad effugiendum scrupulum nititur interpretari Suarez, dicens num. 208. & 209. Doctrinam Suarez intelligi de Colonis partiarijs, qui partem fructuum pro cultura accipiunt, vel Pensionarijs, qui pro integris fructibus certam pensionem soluunt, quia si isti ad solutionem Decimarum tenerentur, maiorem partem fructuum à Patribus vellent, vel minorem pensionem illis soluerent, ac ex consequenti, exemptioni Patrum saltèm indirectè præiudicarent, & hoc fortè desumpsit ex gloss. in præcitata Clem. quæ has duas species expressè à solutione decimarum excipit. Cæterùm subiungit hoc non habere locum in Polonia, vbi Coloni, nec partiarij, nec pensionarij existunt, sed diuersæ conditionis, Cmetones nuncupantur.

§. 194. A num. igitur 210. vsque ad num. 220 nititur Aduersarius probare Colonos in Polonia esse Tertij cuiusdam generis, quia habent seorsiua bona à Dominis illis concessa, & sic prædia Dominorum exercent, & colunt absque eo quod vllam partem fructuum recipiant, vel aliquam pensionem soluant, & propterea cùm nullum illorum exemptioni præiudicium generetur, Colonos ipsos ad solutionem decimarum obligatos esse concludit.

§. 195. Et nihilominus hæc Distinctio non euacuat difficultatem, nec tollit obiectum. Non euacuat difficultatem, quia Suarez, & glossa allegati eatenus dicunt Colonos eximi, quatenùs si non eximerentur, exemptioni Patrum præiudicaretur, & potiùs Patres, quàm Coloni, saltem indirectè, dicerentur soluere, quia soluentibus Colonis plus fructuum darent illis, vel minùs pensionis reciperent ab eis, hæc eadem ratio militat in Cmetonibus, quia cùm Patres concedant Cmetonibus bona seorsiua, ad effectum, vt

excolant, & laborent in agris ipsis Dominis reseruatis, si Coloni tenerētur de illis bonis seorsiuis dare decimas, vel plura bona seorsiua vellent, vel minorem pro Dominis facerent: non est enim æquum, quòd eundem laborem pro bonis liberis impendant, ac pro grauatis, & propterea, vel Patres remanebunt à cultura defraudati, vel plura bona seorsiua Colonis concedere debebunt, quòd indirectè eorum exemptionem lædet, quia idem est soluere decimas, & bona æquiualentia Colonis dare. Vnde patet quod hæc distinctio non euacuat difficultatem.

§. 196. Sed nec tollit obiectum quia nos dicimus omnia bona Societatis esse exēpta Quęro igitur bona illa quæ seorsiuè Colonis dantur, ad effectum vt cætera bona colant, sunt ne Societatis an non? si sunt Societatis, ergo exempta; si non sunt Societatis, sed propria Colonorum, non est casus noster, sed supponitur, quòd sint Societatis, & solùm precariò, & ad effectum culturæ Colonis concessa, ergo sequitur quòd sint exempta, & sic quòd Coloni ratione illorum bonorum non teneantur ad decimas: An autem teneantur ratione Baptismatis, vel missæ, vel administrationis aliorum Sacramentorum, & sacramentalium, non facit ad præsentem casum, quia huiusmodi decimæ sunt personales, & propriæ ipsorum Colonorum. Vndè circà hoc nihil disputamus. Optarem tamen Aduersarium legisse sententiam in Consistorio Lublinensi Anno Domini 1634. latā inter Pleban. eundem Golambiensem Actorem, & Præpositum in Konskauola, atque Baranouiensem, ratione Administrationis Sacramentorum errabundis illis ouibus de bonis Patrum, & Pagis controuersis, ex quibus Plebanus præsumit decimam, per citatos denegatæ. Vnde suo principali mercenarij, & non Pastoris titulum, facilè vel inuitus attribueret.

§. 197. Ex his patet quod si Rota à parte aduersa pluries citata, & diù expectata fuisset informata, non fecisset diuersam decisionem ab illa, quam fecit, quia informantes nihil aliud potuissent deducere, quàm ea, quæ aduersarius libello pleno deducit, non per hoc Sacra Rota, & R.P.D. Cerrus reprehendendi sunt, aut tanquam criminis vel excessus alicuius conscijs ignoscendum illis est, quia æqua lance pro præsentibus, & absentibus iustitiam faciunt; derat in Curia legitimus Procurator, qui poterat allegare Statuta Prouincialia, & quoduis aliud ius prætensum, quia Rota respō-

disset

diffet præfata in hoc casu non suffragari, nec priuilegijs Apostolicis præiudicare, vt hucusque probauimus, & hæc sufficiant ad lamentationes Aduersarij à num. 221. ad num. 224.

§. 198. Circa remedia, quæ Aduersarius implorat, primum quod continetur num. 225. est omninò ab omni ratione remotum, cùm cuncta iura clament Sedem Apostolicam, & Ecclesiam Romanam caput esse, & magistram omnium Ecclesiarum, & ad illam semper ab vniuerso Mundo grauatos, pro leuamine habuisse recursum. Vnde nulla ratio suadet, quod hac priuetur præeminentia, & causas Ecclesiasticas absque appellatione in Poloniā decidendas remittat; nec hoc Ecclesias Poloniæ prætēdere credam, quia fuerunt semper Ecclesiæ Romanæ obsequentissimæ, & contrarium potiùs ad schisma declinat, quia paulatim omnis dependentia, & obedientia erga Sedem Apostolicam serpere posset.

§. 199. Circa Auditorem Rotæ, de quo Aduersarius nu. 226. & 227. dicimus, quod est negocium politicum à Serenissimo cum Sanctissimo concertandum, non à Causidico in libello dicterijs pleno contra Ecclesiasticos, & contra ipsos Summos Pontifices, ac ipsius Rotæ Auditores euulgandum.

§. 200. Et si passim Aduersarius in toto libello dicteria tulit, in fine illius quæcunque occurrunt aperto ore eructat, vnde à num. 228. vsque ad finem, non sine animi offensione, & stomacho legi potest, ex Seneca de Beneficijs adducit exemplum Macedonis, qui naufragus ab hospite receptus, loco gratiarum, illius bona à Philippo sub specie propriæ remunerationis impetrauit, sed cognita ingratitudine, bona hospiti per Philippum restituta fuere, applicans Patribus, qui vti naufragi ex Hispania a Polonis recepti, eorum bona a Summo Pontifice extorserunt. Vnde similiter ad eorum restitutionem condemnari deberent.

§. 201. Hìc non est opus responsione, quia non solùm Patres habent testimonium conscientiā propriam contra detractores, vt diximus supra §. 123. sed etiam ex fructibus eorum cognoscuntur, ex operibus charitatis in proximum, ex laudibus eorum in fundationibus, & in priuilegijs Apostolicis, quæ cùm sint notoria, & tot Episcoporum, & Pontificum monumentis celebrata, vanum est à dicterijs vnius Aduersarij vindicare. Vnde hæc sufficiant pro responsione à num. 228. vsque ad num. 285.

§. 202. A numero autem 235. vſque ad numerum 247. Aliud dicterium ſubiungit de venditione à Patribus facta quorundam colonorum ſtudio auaritiæ, vt plus haberent ex venditione libertatis Chriſtianorum retracta, quàm ex opera, & cenſu ab ipſis colonis debito, ſuper qua re exclamat, exagerat, Deos, & homines inuocat, tanquam ſi cum effectu huiuſmodi facinus Patres perpetraſſent, & nihilominus concludit contractum non habuiſſe effectũ, immò ad menſam Illuſtriſſimi D. Epiſcopi Poſnanieñ Rectori Societatis cum alio Profeſſore Theologo hoc non placuiſſe, & ſubiunxiſſe, quòd ſi hunc tractatum illorũ Procurator feciſſet, non fuiſſet validus ſine conſenſu Superiorum. Vt quid ergo tot exclamationes? ſi etiam hic Procurator auaritia ductus hoc facere procuraſſet vt quid totam Religionem ſuper hoc infamare? Quid culpæ habent Rector, & alij Patres, quid habent alij Superiores, quid habet tota Religio? Nos ſcimus quod Deus in Angelis ſuis reperit prauitatem, inter Apoſtolos erat Iudas, inter Diaconos Nicolaus, & ſic de ſingulis, quid mirum ſi etiam in Societate per totum Orbem diffuſa, aliqui minùs compoſiti, aut etiam auari, & quiduis reperiantur. nùm ideò redarguenda eſt tota Societas, eò vel maximè, quod negotium adeo exageratum non habuit effectum.

§. 203. Sed inquit, ipſe hoc euulgare ne de cætero Patres in ſimilia proſiliant. O Prudentia hominis, nonne ſufficiebat admonere Generalem; nonne fatetur Aduerſarius num. 238. Præpoſitum Generalem ſacro decreto iura, & priuilegia Eccleſiæ Poſnanieñ ſalua voluiſſe? Nonne ad ſolam inſtantiam Aduerſarij Generalis huiuſmodi decretum expediuit? fatetur hoc ipſe num. 211. Cur igitur poſtmodum Aduerſarius inuectiuas facit, cur verbo, & ſcriptis in Societatem inuehitur, cur ſicut à Generali primum obtinuerat decretum ita pro ſecundo non inſtat? ſed de his ſatis: Aduerſarius eſt prudens, & propriæ conſcientiæ conſulere poteſt, qui diffamationem intendebat.

§. 204. In num. 247. reuertitur Aduerſarius ad deciſionem, quam dicit nimis præiudicialem, ex eo, quia à Decimis abſoluit colonos, ſed iam ſatis ſupra reſponſum fuit, ſperat tamen num. 248. Rotam mutare ſententiam, quod non negamus aliquando facere, & à deciſis recedere, & ſententias reuocare, ſed ex cauſa, & rationibus nouiter deductis, ſi Aduerſarius confidit habere bonam cau-

ſam, ob bona iura, cur non venit ad Rotam? cur non petit reſtitutionem? non eſt litigandum iniurijs, & libellis pro libitu euulgatis, ſed iuribus, & legibus coram Iudice competente productis.

§. 205. In numero finali facit minas contra Rotam de reuocanda illius deciſione per conuitia generalia exemplo cauſæ Cracouieñ cum Academia, ſed à minis, ac violentijs, non poſſunt aduocati defendere, & propterea ſatis erit iuribus prætenſis reſpondiſſe, eò, vel maximè, quod ad maiora vocamur. Vnde hic erit finis Reſponſionis ad primum ſcriptum Aduerſarij, cuius perſonam maximè veneramur, licèt doctrinæ aſſentiri non poſſumus, ad ſecundum ſcriptum iam reſpondimus? ad tertium intelligimus alios nos labore leuaſſe. Vnde agimus Deo gratias, cui, & Sanctæ Romanę Eccleſiæ, & cuicumque meliùs intelligenti, nos, & hæc ſcripta, ac omnia noſtra ſubmittimus.

Ioannes Naldus.



R.P.D.

R. P. D.
VEROSPIO

Cracouien. Decimarum.

Lunæ 31. *Ianuarij* 1650.

POst latam in hoc Tribunali sententiam in iudicatum transa-ctam, qua præuijs duabus decisionibus coram R. P. D. meo Cerro, videlicet Maij, & 4. Iulij anni 1640. Collegium Cracouien. ac PP. Societatis Iesu ibi degentes à quacumque decimarum solutione ex Apostolicis priuilegijs declarantur immunes; fuerat postmodum ab vniuerso Poloniæ Clero iudicium institutum in Sacra Congregatione Eminentissimorum Cardinalium Concil. Trident. Interpretum, contra eosdem PP. cæterosque Regulares super decimis ex bonis proprijs ab ipsis quoque præstandis: In quo sanè iudicio productis ex parte Patrum priuilegijs super decimarum exceptione ab Apostolica Sede receptis, ijsque maturè discussis, de eorundem consensu tandem sacra Congregatio decreuit anno 1645. in hæc verba, videlicet,

Sacra Congregatio Iterum, atque iterum auditis Regularibus, eorum iuribus, ac priuilegijs maturè discussis, censuit ab eisdem Patribus, & aliis Regularibus soluendas esse Parochis, & aliis Beneficiatis Regni Poloniæ decimas, quæ soluebantur à laicis, priusquam bona in ipsorum Patrum, ac Regularium proprietatem fuerant translata firmis tamen remanentibus transactionibus desuper factis. Cùm verò huius virtute decreti Executor Apostolicus PP. Societatis condemnasset ad decimas tum in futurum, tum pro ante acto decreti tempore, Golambiæ Parocho præstandas ex bonis intra ipsius Parochiæ limites constitutis; Delata postmodum mihi causa appellationis ab executoris excessu, super eo dubium hodie proposui affirmatiuè resolutum.

2 Ille siquidem præcipuè deducitur ex mandato pro decimis præteritis relaxato, quæ tum inspecta ipsius decreti natura, tum ver-

borum

borum qualitate, ad futurum tempus restricta, ibidem dici non poterant comprehensæ *iuxt. text. in cap. cognoscentes vbi gloss. in verbo futuris, & in cap. vltim. de constit. vbi gloss. pariter in verbo, futuras. Bart. in l. verbum oportebit num. 1. & ibi quoque Rebuff. in verbo futurum vero, ff. de verb. signific. idem Bart. in l. cent. num. 25. ibique Iason. num. 43. ff. de vulgar. Menoch. conf. 110. num. 13. cum seqq. & conf. 711. num. 4. Natt. conf. 107. num. 7. & 8.* Adeoque decimæ ante emanatum decretum decursæ in relaxatione mandati includi non poterant ab executore, qui proinde decreti verba minus rectè interpretando, legatum exequendi modum excessisse censetur per *text. in l. ab executore, ff. de appellat. vbi post gloss. in verbo non iure notat Bart. num. 7. gloss. in cap. quoad consultationem in verbo excedatur circa finem de sententia, & re iudicat. Petrus Rebuff. in tract. de sententiis executoris art. 7. gloss. 14. num. 8.*

Non obstat, quod anteacti temporis decimæ in casu proposito iusta ratione videantur inclusæ, vel quia præfatum Sacræ Congregationis decretum vim declarationis obtineat, quæ ad præteritum quoque tempus referri solet, vt notant *DD. in cap. vltim. de constit. vbi inter cæteros Felin. num. 4. Dec. num. 13. Menoch. conf. 792. num. 8.* Vel quia illæ fuerant à Parocho antecedenter petitæ tanquam sors, ac independentes à iure decimandi, & consequenter non solùm in futurum, sed etiam ab initio ante institutum super ipsis iudicium debebantur, vt respondit *Rota in Toletana decimarum 21. Iulii 1649. coram R.P.D. meo Celso, & in alia Hispalen. decimarum 10. Decembris eiusdem anni coram R. P. D. meo Bichio.*

Quia præterquam præfatum Sacræ Congregationis decretum per viam nouæ dispositionis potius videtur emanasse ad coarctanda Apostolica priuilegia, verbis expressis bona Patrum eximentia à quacumque decimarum solutione (ne Parochis onerosa nimium successu temporum redderentur, iuxta cap. suggestum de decimis) licet vim quoque declarationis obtineret, decimarum tamen præteritarum ibidem inclusio impeditur, ex sententia Rotali exemptionum priuilegia canonizante, contra ipsummet Parochum, qui pro prætensis decimis iudicialiter eos in partibus conuenerat: Ex ea enim sententia in iudicatum deinde transacta, in bona vtique fide constituti Patres Societatis, conueniri non

pote-

poterant pro fructibus ante decreti relaxationem exactis, cùm virtus rei iudicatæ retrotractionem impediat exaduerso prætensam, ac quamcumque temporum coniunctionem excludat, vt probat *text. in l. relegatorum*, §. *ad tempus vbi gloss. notat in verb. ita*, *ff. de interdictis, & relegatis*, quam refert, & sequitur *Iason. in l. non dubium*, *C. de legib. gloss. in cap. I. in verb. de catero, de postulation Pralatorum lib. 6. vbi Franc. num. 5. Geminian. num. 6.* & probauit *Rot. decis. 158. num. 4. circa finem cum seqq. part. 2. diuers.* Bona vero fides inde resultãs diuersitatis rationem inter tempus vtrumque constituat, ac consequenter decimarum antecedentium retardet exactionem, eamque restringat ad futuras, licet fuerint independenter a iure decimandi petitæ, vt respondit *Rota coram Seraphin. decis. 835. num. 8. & 1168. num. 4. & coram Buratt. 184. num. 2.*

Resultare quoque visus fuit excessus executoris ex decimarum quantitate in summa florenorum 3000. taxata, in mandato ante liquidationem eius quod præstabatur à laicis, priusquam bona ad ipsos fuissent Patres delata, quæ tamen liquidatio vigore decreti expresse requisita, ac vti qualitas dispositioni inhærens debuisset omnino præcedere *iuxt. text. in l. 1. §. ait prætor vbi notat Bart. ff. ne quid in flumine publico, l. prætor la 2. §. docere, ff. de vi bonorum raptorum. Tiraquel. de retract. consanguin. §. 8. gloss. 7. num. 1. Surd. cons. 130. numer. 1. & decis. 230. numer. 6. Rot. coram Buratto decis. 317. num. 1. & in Hispalen. decimarum 26. Iulii 1647. coram R. P. D. meo Corrado in §. quia procedit circa finem*: Eaque posthabita nullam, & excessiuam reddidit executoris condemnationem *iuxt. text. l. ab executione, C. quorum appellationes non recipiantur, vbi post gloss. in verbo excedat, notat Bart. num 4. gloss. in cap. quoad consultationem in fin. in verbo excedatur de re iudicat. Petrus Rebuff. ad constit. Gall. tom. 1. eodem tit. de sententiis executor. art. 7. gloss. 14. num. 4. Lancellot. de attent. appell. pendente limit. 53. num. 32. Rota coram Seraphin. decis. 1168. num. 5. & coram Gregor. 224. & 545. num. 7. & coram Buratt. 417.*

Aliqui præterea ex Dominis exinde quoque deducebant excessum executoris, quòd ille deuenerat ad relaxationem mandati, non obstantibus transactionibus quas Sacram Congregationem præseruare voluisse dignoscitur, tum ex dictione illa, tamen, præserua-

ſeruationi a dicta ſupra expreſſorum exceptiua, ac reſtrictiua præcedentium, *vt in l. pro harede*, §. *quod autem*, *ff. de acquirenda hereditate*, *l. ita tamen*, *ff. ad trebell. l. vbi adhuc* §. *ita tamen*, *C. de iure dotium*; Tum ex ablatiuo etiam abſoluto, ſub quo concepta fuerat tranſactionum præſeruatio, conditionem ac formam deſignante, vt notat *Bald. in authen. matris, & auia, C. quando mulier. tutor. offic. fungi poſſit*, *Felin. in cap. dilecta num. 6. de reſcript. Roland. conſ.* 82. *num.* 5. *lib.* 1. *Tiraquell. in tractat. ceſſante cauſa limit.* 1. *num.* 61. *Rota deciſ.* 189. *num.* 3. *part.* 4. *diuerſor.* quæ dum impleta non fuit, nullam & irritam reddidit condemnationem executoris, *ad text. in l. menius, & l. qui heredi, ff. de condit. demonſtrat. l.* 1. *&* 2. *C. quando prouocare non eſt neceſſarium*, *notant DD. in cap. dilecta de reſcriptis, vbi poſt gloſſ. in verbo irritum Abb. num.* 4. *Felin. numer.* 6. *Sanchez. de matrim. lib.* 3. *diſput.* 5. *num.* 2. *Rot. poſt Pacif. de ſaluian. deciſ.* 268. *num.* 8.

Neque præfatus exceſſus euitari poterit, vel ob prætenſam eorundem tranſactionum nullitatem ex defectu beneplaciti Apoſtolici reſultantem, vel quia illæ tunc temporis expiraſſent, cum huius articuli deciſio (quatenus Sacra Congregatio eas noluiſſet abſolutè præſeruare) vel in ipſa Sacra Congregatione debuiſſet terminari, vel ſaltem in hoc Tribunali dignoſci, non autem eiuſdem cognitio ſpectaret ad executorem, qui proinde fines ſuæ iuriſdictionis excedendo, nulliter proceſſiſſe cenſetur *ad text. in l.* 1. *C. ſi à non competenti Iudice*, *& in cap. at ſi Clerici in princip. de iudiciis Barb. in cap. cum M. Ferrarien. numer.* 186. *in fine de conſtit. Geminian. conſ.* 4. *num.* 1 *Rot. in Parmen. nullitatis ordinationis* 12. *Maii* 1631. *coram Reuerendiſſ. Terracinen.*

Hinc etiam aliqui ex DD. alterum executoris exceſſum a[illegible] bant. Cùm hic poſt cauſam appellationis à Signatura ſimplic[illegible] admiſſam, & expeditam huius Sacri Tribunalis inhibitionem ſibi quoque perſonaliter intimatam, ad relaxationem cenſurarum alioſque actus præiudiciales vlterius progredi non potuiſſet *ad text. in cap. non ſolum in fine de appellat. lib.* 6. *& in cap.* Romana, §. *ſin autem poſt ſentent. de appellat. & in cap. cum inferior de maioritate, & obedientia*, & pluries reſpondit *Rota coram Buratt.* 903. *coram bon. memor. Coccino* 319. *coram bon. memor. Vrgellen.*

len. 104. & in alijs latè congeſtis *in Toletana matrimonii* 20. *Iuni* 1645. *in* §. 2. *quia cum ſequent*. Rota *coram* Reu. P. *Domino m* *Corrado*.


Et ita vtraque &c.

Errata ſic corrige.

§. 5. § num. 6. à patre lege à parte
§. 38. num. 7. diſpenſare in id lege in eo
§. 61. num. 6. & §. 62. num. 7. corrolaria lege corollaria
§. 44. num. 3. & 76. num. 12. Hadriano, Hadrianum, lege Adriano, Adrianum
§. 79. num. 6. Hanc eadem lege Hanc eandem
§. 91. num. penultimo inretractabilis lege irretractabilis.

ROMÆ, Ex Typographia Reu. Cameræ Apoſt.
M. DC. L.

Superiorum permiſſu.



Indice

FINE

300